Anni collecti	Medii motus lune ad tempus domini in annis collectis				Anni collecti	Medii motus lune ad tempus domini in annis collectis				Anni expansi	Medii motus lune in annis expansis			
	Si	G	Mi	2a		Sig	G	Mi	2a		Si	G	Mi	2a
Radix	2	26	44	32	720	11	12	46	22	1	0	19	26	34
24	6	10	47	16	744	2	27	19	6	2	1	8	51	8
48	9	25	29	59	768	6	10	51	50	3	1	28	4	43
72	1	10	2	43	792	9	26	24	33	4	2	17	29	20
96	4	24	35	27	816	1	10	57	17	5	3	6	46	1
120	8	9	8	10	840	4	25	30	1	6	3	26	6	34
144	11	23	40	54	864	8	10	2	44	7	4	15	30	20
168	3	8	13	38	888	11	24	35	28	8	4	4	50	54
192	6	22	46	21	912	3	9	8	12	9	4	24	11	29
216	10	7	19	5	936	6	23	40	55	10	6	13	32	3
240	1	21	41	49	960	10	8	13	39	11	7	2	44	48
264	5	6	24	32	984	1	22	46	23	12	7	22	16	22
288	8	20	57	16	1008	5	7	19	6	13	8	11	36	56
312	0	5	30	0	1032	8	21	51	50	14	9	0	57	30
336	3	20	2	43	1056	0	6	24	34	15	9	20	31	15
360	7	4	35	27	1080	3	20	57	17	16	10	9	41	40
384	10	19	8	11	1104	7	5	30	1	17	10	29	2	23
408	2	3	40	54	1128	10	20	2	45	18	11	18	22	44
432	5	18	13	38	1152	2	4	35	28	19	0	7	26	23
456	9	2	46	22	1176	5	19	8	12	20	0	26	7	17
480	0	17	19	5	1200	9	3	40	56	21	1	16	27	51
504	4	1	41	49	1224	0	18	13	40	22	2	5	48	24
528	7	16	24	33	1248	4	2	46	23	23	2	25	12	10
552	11	0	57	16	1272	7	17	19	7	24	3	14	32	44
576	2	15	30	0	1296	11	1	51	51					
600	6	0	2	44	1320	2	16	24	34					
624	9	14	35	27	1344	6	0	57	18					
648	0	29	8	11	1368	9	15	30	1					
672	4	13	40	54	1392	1	0	2	45					
696	7	28	13	38	1416	3	14	35	29					

Nº (2)

Menses	Medii cursus draconis ad menses				Dies	Medius cursus ad dies mensium			Hore	Medii cursus ad horas diei et noctis			Minuta hore	Medii cursus ad minuta horarum		
	Si	G	M	Se		G	M	Se		G	M	Se		M	Se	Ter
Marcii	0	1	38	34	1	0	3	11	1	0	0	8	2	0	0	16
					2	0	6	22	2	0	0	16	4	0	0	32
Aprilis	0	3	13	57	3	0	9	32	3	0	0	24	6	0	0	48
					4	0	12	43	4	0	0	32	8	0	1	4
Maii	0	4	52	31	5	0	15	54	5	0	0	40	10	0	1	20
					6	0	19	5	6	0	0	48	12	0	1	35
Junii	0	6	27	55	7	0	22	16	7	0	0	56	14	0	1	51
					8	0	25	26	8	0	1	4	16	0	2	7
Julii	0	8	6	29	9	0	28	37	9	0	1	12	18	0	2	23
					10	0	31	48	10	0	1	20	20	0	2	39
Augusti	0	9	45	3	11	0	34	58	11	0	1	27	22	0	2	55
					12	0	38	9	12	0	1	35	24	0	3	11
Septemb	0	11	20	26	13	0	41	20	13	0	1	43	26	0	3	17
					14	0	44	31	14	0	1	51	28	0	3	43
Octob	0	12	59	1	15	0	47	42	15	0	1	59	30	0	3	59
					16	0	50	52	16	0	2	7	32	0	4	14
Novemb	0	14	34	24	17	0	54	3	17	0	2	15	34	0	4	30
					18	0	57	14	18	0	2	23	36	0	4	46
Decemb	0	16	12	58	19	1	0	24	19	0	2	31	38	0	5	2
					20	1	3	35	20	0	2	39	40	0	5	18
Januarii	0	17	51	32	21	1	6	46	21	0	2	47	42	0	5	34
					22	1	9	57	22	0	2	55	44	0	5	50
Februarii	0	19	20	34	23	1	13	8	23	0	3	3	46	0	6	6
					24	1	16	19	24	0	3	11	48	0	6	22
					25	1	19	29					50	0	6	38
					26	1	22	40					52	0	6	54
					27	1	25	51					54	0	7	10
					28	1	28	2					56	0	7	26
					29	1	32	13					58	0	7	42
					30	1	35	23					60	0	7	58

l. a. 3

~~72. 1. a~~

MIDDLE TEMPLE

¶ A.

12 ± 1 a

GABRIELIS POVELLI (10)

Ordouicis Britanni,

DE ADIAPHORIS THESES THEOLOgicæ ac Scholaſticæ.

Ubi etiam methodicè atque ſuccinctè explicantur Loci de Magiſtratu *Ciuili & Eccleſiaſtico, de Legibus Humanis, de Libertate Chriſtiana, de Scandalo, de Cultu DEI.*

Libellus Votiuus, ſopiendis (per DEI gratiam) Diſſidijs in Eccleſia Anglicana ortis, deſtinatus.

MIDDLE TEMPLE

LONDINI

Excudebat ROBERTVS BARKERVS, Typographus Regius.

ANN. CIƆ IƆC VI.

SI QVID IN HOC LIBELLO ADVERSETVR VERBO DEI SCRIPTO, INDICTVM ESTO.

a19028

Ampliſsimo atque Reuerendiß. in *Chriſto Patri ac Domino*, Dn. RICARDO VACHANO, S. Theol. Doctori, Epiſc. Londinenſi, Domino ſuo clementiſſimo,

Omnem gratiam & pacem externam, internam, æternam.

EGo verò (Reuerendiß. atque *Ornatiß. Præſul, Domine Clementiß.) præclaram de negotio Adiaphoriſtico, quod iamdiù Eccleſiã noſtram exercuit, ſpem habeo; adeò vt felices & optabiles exitus cùm exſpectare, tum polliceri mihi ipſe non verear. Quid enim? Syrtes & Scopulos, in quos impegerunt, & adhuc*

Scopuli in quos impingunt Miniſtri Refractarij.

huc (proh dolor!) impingunt multi, intueri videor; quibus detectis & toti mundo propalatis, pij ſibi proſpicere, & inoffenſo pede in opere Euangelij, ſine naufragij periculo tutò nauigare poſſint. Scopuli autem hi tres præcipuè ſunt; quorum primus eſt,

I. Scopulus, *Christum eſſe Legiſlatorem*

Quòd CHRISTVM, *ceu Legiſlatorem, in Euangelio politiam quandam inſtituiſſe, ac leges ſanxiſſe Eccleſiaſticas arbitrentur nonnulli; cui arenoſo fundamento tota ſtrues & moles Diſciplinæ Presbyterianæ innititur. Hoc autem nouum atque inſolens* ψευδογράφημα *vnde petitum ſit nemo ignorat, qui Tridentini Syncretiſmi Decreta & Canones vel leuiter euoluerit. Sic enim purpurati iſti Patres, ſat pro imperio ſuperciliosè definiunt, ſeu intonant potiùs;* Si quis dixerit Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe vt Redemptorem cui fidant, non etiam vt Legiſlatorem cui obediant, anathema ſit. *Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 21.*

At

At verò, per Deum immortalem, qualem nobis Chriſtum proponunt tum Paterculi Tridentini, tum Miniſtri Refractarij? Ex Chriſto Redemptore, etiam Legiſlatorem faciunt: & Mundi Seruatorem IESVM *in Moſem legiſlatorem transformant. Hoc autem faciunt exemplo Mahometis, qui finxit Deum miſiſſe Chriſtum in mundum, vt perfectiorem proponeret Legem, quàm Moſes. Verùm Chriſtus ipſe* (ex Iſaia Propheta, Cap. 61. verſ.1.) *docet, ſe miſſum eſſe* ad Euangelizandum pauperibus, (Luc. 4. 18.) *Euangelizare autem, hoc eſt, lætum nuncium adferre, non eſt nouas leges hominibus imponere. Et quamuis* (Matth. 5.) *aliquot præcepta explicuerit; eo ipſo tamen non nouas leges condidit, ſed legem Moſaicam, falſis interpretationibus Phariſaicis obſcuratam, ſuo nitori reſtituit. Quòd autem Chriſto ſecundùm præcepta Decalogi, quem Moſes tradidit, obediendum ſit, id nemo ſanus negat: ſed hoc conſtanter inficiamur, Chriſtum ſci. Legiſla-* 1. Scopuli detectio.

 torem

torem eſſe, aut Euangelium, quod de iuſtitia ſpirituali & æterna concionatur, nouam aliquam politiam corporalem conſtituere. Quin potiùs iubet nos præſentibus Magiſtratibus ac Legibus obtemperare, quæ tamen non pugnant cum legibus naturæ: & præcipit vt præſentes Politias tueri & ornare ſtudeamus. Optimè ſanè hac de re D. Caluinus, Quia in externa *(inquit) Eccleſiæ* diſciplina & ceremonijs non voluit *Deus* ſigillatim præſcribere quid ſequi debeamus (quòd iſtud pendêre à temporum conditione præuideret, neque iudicauit vnam ſeculis omnibus formam conuenire) confugere hîc oportet ad generales quas dedit regulas, vt ad eas exigantur quæcunque ad ordinem & decorum præcipi neceſsitas Eccleſiæ poſtulabit. Ideò nihil expreſſum tradidit, quia nec ad ſalutem hæc neceſſaria ſunt; & pro moribus vniuſcuiuſq; gentis ac ſeculi variè accommodari debent ad Eccleſiæ ædificationem, prout Eccle-

ſiæ vtilitas requiret, tàm vſitatas mutare & abrogare, quàm nouas inſtituere conueniet. *Caluin. Inſt. Lib. 4. cap.* 10. §. 30.

Secundus Scopulus, in quem impingunt Miniſtri, eſt quòd definiant nihil prorſùs præſtari poſſe, in adminiſtrandis ſacris, ſeu peragendo Dei cultu, quod non ſit Cultus, aut certè pars aliqua Cultus diuini. Hinc conſignationem Crucis in Sacramento Baptiſmi, & Geniculationem S. Cœnam ſumentium, veluti nouos Cultus, exſecrantur.

II. Scopulus, Nihil in exercitio cultus Dei præſtari, quod non ſit cultus.

At quis putaret homines vllâ opinionis importunitate adigi potuiſſe in hanc ſententiam, vti ſic definirent? Video Prophetas & Apoſtolos ſæpiùs Deum inuocantes & ieiunantes. Video Chriſtum ipſum geniculantem & precantem. (Luc. 22. 41.) *Quid? an Miniſtris Cultus Dei videtur ieiunium? item geniculatio?* Κόλακες. *At verò hæc in ipſo Cultus Diuini exercitio præſtabantur.*

2. Scopuli detectio.

Tertius Scopulus, eſt quòd Eccleſiam nullas ſignificatione aliquâ conſpicuas ceremonias inſtituere poſſe ſtatuant. Hinc etiam

III. Scopulus, Eccleſiam non poſſe ceremonias ſymbolicas aut ſignifi-

cantes (vt loquuntur) instituere.

etiam Crucis conſignationem & Lineam veſtem in adminiſtratione ſacrorum condemnant.

5. Scopuli detectio.

At quis non videt hoc [illegible] *ex præcedenti ortum ſuum habuiſſe? Quia enim Miniſtri, omnes actiones & ceremonias, quæ Diuino cultui inſeruiunt, ipſum Dei cultum eſſe putant; ideo tales inſtitui nolunt. Verùm tota Scriptura, & totus mundus Miniſtrorum iudicio reclamant, quod in ipſo opere luculenter & abundè probauimus. Et quidem ſummoperè vitanda ſunt illa opinionum portenta & loquendi genera, quæ manifeſtè contradicunt expreſſis Scripturæ ſententijs; hoc enim eſt* ἑτεροδιδασκαλεῖν, *vt ait Paulus.*

Hi ſunt Scopuli iſti pernicioſi, quos iam propalaui ad commonefaciendos rudiores, ne Syrenum cantu moueantur, & in præcipitia ruant. Ac non dubito quidem, quin Miniſtri plerunque omnes (qua ſunt Dei gratia, prudentia, acumine & conſcientia) conſilium hoc facilè intelligant & amplectan-

plectantur: Laicorum verò (quos διακριτικῶς *ita nominamus) in hac cauſa* πολυπραγμοσύνην *valdè metuo. Hi enim vetera inſtituta mediocria reprehendere, nouas leges ferre, politias præſcribere, tanquam Ædilitijs edictis, ſolent; Miniſtros continuò importuniùs vrgent, & oleum camino addunt. Verùm Diſciplinam & Eccleſiæ gubernationem ſciant alijs artificibus commendatam eſſe, & præcepti vſitati meminerint, vt ſuam quiſque ſpartam ornet.*

Laicorum Πολυπραγμοσύνη intolerabilis.

[illegible]

Vt apud Ariſtophanem Cleon dicitur alterum pedem in Curia, alterum in Caſtris habere: ita & apud nos multi ſunt irrequieti Cleones, qui alterum pedem in Curia, alterum in Eccleſia habent; & ciuitatem ſeu politiam perindè condunt, atque Simia in fabula Hermogenis; quam breuiter recitabo, vt imaginem ſtultitiæ illorum, qui nouas politias condere volunt, omnes conſiderent.

Cleon Ariſtophanicus.

Diù apud homines vixerat Simia iam vetula, ſed tandem negligentiùs cuſtodita

Simia Hermogeniana.

ta euaſit, & in campos & ſyluas ad cæteras Simias rediјt. Ibi narrat pulchram & beatam eſſe hominum vitam, quæ ſit munita tectis contra pluuias, frigora & æſtus, & mœnibus contra feras & hoſtes: narrat etiam repoſitas fruges in ædibus, hominum congreſſus, theatra, ſpectacula, ludos. Hortatur cæteras, vt hanc hominum ſapientiam imitentur, & domos exſtruant, & circumdent murum, vt arcere cæteras feras poſsint. Conueniunt magna agmina Simiarum, vt audiant hoc nouum Conſilium. Applaudunt omnes, tam ſpecioſâ ſententiâ auditâ; & fit Decretum à Senatu Populóque Simiarum, vt vrbem condere incipiant. Sed dimiſsæ iuniores Simiæ ad conuehenda ligna & lapides, cùm deeſſent inſtrumenta, & nulla ratio eſſet ligna cædendi, & lapides expoliendi & coagmentandi, experiundo iam agnoſcunt, ſe ſtultè rem impoſsibilem & alienam à ſua natura molitas eſſe. Tales omninò ſunt iſti nouarum ciuitatum conditores, qui ſomniant nouas

uas Politias, & nouam Diſciplinam. Et fuiſſe omnibus ætatibus multas tales Simias, credibile eſt. Sed noſtra ætas (proh dolor!) vidit plurimas, à quibus orta eſt ingens in Repub. perturbatio, & in Eccleſia ἀταξία *quæ iamdiù Angliam grauiter exercuit. Veruntamen meminerint ſaniores præceptum in hac fabula traditum, nec temerè de politicis inſtitutis, quæ non continent manifeſtam impietatem aut turpitudinem, contendant. Plura in hanc ſententiam dicerem (Reuerendiſsime Antiſtes) niſi ſcirem te hæc omnia, pro tua ſapientia & eruditione, longè meliùs perſpicere, quàm à me dici queant.*

Quod reliquum eſt, has de Adiaphoris Theſes, pro ingenij tenuitate breuiſsimâ methodo διὰ τάχους *explicatas, Reuerendiſsimo Tuæ Amplitudinis nomini inſcribo, quam grati animi, & in R. D. T. obſequia propenſiſsimi, qualemcunq; ſignificationem, vt ſerenâ fronte Tua Amplitudo (Præſul Reuerendiſs.) ſuſcipiat, méque ſolito ſuo fa-*

uore

uore complectatur, etiam atque etiam ſumma animi demiſsione rogo & obſecro. Dominus IESVS CHRISTVS *Dominationem Tuam & Eccleſiæ & Reipublicæ quàm diutiſsimè incolumem conſeruet.*

Perſcriptum ex Palatio tuo Londinenſi, Februarij die 7.

Reuerendiſs. Amplitudini tuæ
à Sacris domeſticis quàm
humilimè deuotus,

Gabriel Pouelus,

Dauidis F.

Elenchus Capitum.

CAP. I.

1. *Quid ſint Adiaphora.* Pag.1.

CAP. II.

2. *De Adiaphororum Cauſis; ac primò de Cauſa* EFFICIENTE. pa.8.

CAP. III.

3. *De* MATERIA *Adiaphororũ.* p.12.

CAP. IV.

4. *De* FORMA *Adiaphororum.* p.14.

CAP. V.

5. *De* FINE *Adiaphororum.* pa.20.

CAP. VI.

6. *Quæ ſint vera Adiaphora.* pa.33.

CAP. VII.

7. *De legitimo vſu Adiaphororũ.* p.42.

CAP. IIX.

8. *De poteſtate Legum, imprimis verò Eccleſiaſticarum: Et an obligent cõſcientiam. Vbi etiam de Magiſtratu Ciuili & Eccleſiaſtico: Et de Libertate Chriſtiana.* pag.54.

CAP.

CAP. IX.

9. *De Scandalo. Et quinam in Eccleſia Anglicana Scandalum præbeant, Præſuléſne Eccleſiaſtici & Magiſtratus Ciuilis, qui obedientiam in receptis & approbatis ab Eccleſia Adiaphoris requirunt: an verò Miniſtri quidam, qui Eccleſias potiùs deſerunt, quàm iſtis acquieſcere volunt.* pag.74.

CAP. X

10. *De Cultu Dei. Et quòd opera Adiaphora, & Ceremoniæ* εὐταξίας *cauſâ in Eccleſia conſtitutæ, non ſint Cultus Dei.* pag.88.

CAP. XI.

11. *Solutio Obiectionum, quæ à Miniſtris Refractarijs opponuntur.* p.96.

12. *Concluſio, ad dilectos in Chriſto Fratres, Miniſtros quoſdam, qui Eccleſiæ Anglicanæ Diſciplinæ non acquieſcunt.* pag.118.

THESES

THESES THEOLOGICO-SCHOLAſticæ de Adiaphoris.

CAP. I.

¶ *Quid ſint Adiaphora.*

QVAMVIS, noſtra hac infelici ętate, multùm Eccleſijs Chriſti faceſſat negotij, de ADIAPHORIS, ſiue Traditionibus Eccleſiaſticis, diſputatio; alijs Traditiones OMNES citra diſcrimen ſeruandas contendentibus; & alijs contrà OMNES indiſcriminatim abijcientibus: exiſtimo tamen eos ſentire rectiùs, qui in tam ingens humanarum opinionum pelagus ingreſsi, velut inter duos ſcopulos vehuntur, & media regiáque via nauigant; hoc eſt, qui nec

Non omnes Traditiones eſſe reijciendas.

Omnes retinendas, nec Omnes abſque diſcrimine reijciendas eſſe iudicant.

2 Chriſtianæ enim diſcretionis & prudentiæ eſt, ſecundùm Apoſtoli regulam, Omnia *probare, & quod* Bonum *eſt tenere, 1.Theſſ.4.21.*

3 Cùm autem Omnia Probanda dicat Apoſtolus, proculdubiò monet, néque reijcienda, néque recipienda eſſe mox Omnia; ſed potiùs adhibito iudicio examinanda & probanda. Et cum Bonum Tenendum ſuadeat, ſatis diſertè docet, cauendum eſſe nobis, ne quæ mala ſunt retineamus & amplectamur, nec quæ bona reijciamus & auerſemur: cùm vtrúmque hominum ſit vel impiè irreligioſorum, vel admodum imprudentum, quales Chriſtiani ſine graui ſcelere & dedecore eſſe non poſſunt.

4 Inter Omnia autem rectè & Traditiones numerantur: quare quòd in genere dictum eſt ab Apoſtolo Probanda Esse Omnia, ad illas quóque referri debet.

Traditiones probandæ.

5 Probentur igitur Traditiones diſcretione competenti ad amuſſim & regulam Diuinæ veritatis, quà diſcernantur à bonis reprobæ; & quæ ſeruandæ ſunt ſeruentur,

uentur, quæ reijciendæ reijciantur.

6 Facilè autem proponitur in genere, Seruandas videlicet eſſe Traditiones bonas, vtiles, ἀδιαφόρους; abijciendas malas, impias, pernicioſas. Vbi verò in ſpecie declarandũ eſt, quęnam bonæ & adiaphoræ ſint, non adeò hoc facilè determinari poteſt.

7 Quapropter vt quid veri, quid falſi ſit in hac materia eluceſcat; piique, moderati, & ſobrij homines quid ſibi ſit faciendum, quid ſequendum, quid fugiendum in hoc negotio Verbo Dei edocti cognoſcant; proderit rem ipſam nonnihil altiùs perſequi.

8 Hinc operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi totam de Adiaphoris doctrinam methodicè contextam repeterem, eámque omnibus ob oculos conſpiciendam & dijudicandam proponerem.

9 De Adiaphoris itáque dicturis, Primò, *Quid nominis*: Deindè, *Quid rei*, explicandum eſt. De Adiaphoris.

10 Adiaphora, vt Suidas cenſet, Græci nominant eas res, quarum vſus in medio poſitus eſt, vt benè illis vel malè vti poſsimus, τὰ μήτε πρὸς εὐδαιμονίαν, μήτε πρὸς κακοδαιμονίαν συνεργοῦντα, quæ veram beatitudinem aut felicitatem non conficiunt. Quid Nominis.

11 Hæc Baſilio τὰ ἐν ἐξουσίᾳ, ἢ μέσα: & Nazianzeno τὰ ἐν μέσῳ κείμενα dicuntur: qualia ſunt, diuitiæ, gloria, ſanitas, robur corporis & ſimilia, quæ quidem per ſe genuinam felicitatem non abſoluunt; etſi eam non parùm ornent, quando rectè adhibentur.

12 Suntque vel Προηγμένα, vel Ἀποπροηγμένα.

Ἀδιάφορα προηγμένα. 13 Προηγμένα & Antegreſſa vocant Græci ea, quæ ſplendorem & dignitatem in ſe continent, & quorum legitima vſurpatio beatitudinem reddit auguſtiorem. Exempli cauſa; in Bonis animi, tale ἀδιάφορον προηγμένον, eſt bona indoles, ingenium acutum & perſpicax; in Bonis corporis, vires & valetudo; in Bonis externis, diuitię, honor, gloria. Hęc etenim veram virtutem, in qua ſolidam felicitatem ſtatuunt Philoſophi, antecedunt, & ad felicitatem quendam aditum prębent.

Ἀδιάφορα ἀποπροηγμένα. 14 Ἀποπροηγμένα, ſunt quæ non antecedunt, ſed potiùs diſcedunt à felicitate, eiúſque ſplendori quandóque maculam aſpergunt; qualia ſunt in Bonis animi, ſtupor & inertia; in Bonis corporis, morbus & ęgritudo; in Externis, paupertas & amicorum penuria, quæ alioquin in malis numerantur.

15 Conuenit hęc Nominis explicatio

cum

cum rebus Eccleſiaſticis, ideóque ab vſu communis vitæ ea appellatio ad Eccleſiam traducta eſt. Sicut enim Philoſophi illa nominant ἀδιάφορα, quę per ſe non abſoluunt veram ciuilem felicitatem, néque eam impediunt, licèt eidem ornamento, & quodammodò adiumento ſint; Ita Eccleſia ea appellat ἀδιάφορα, quæ ad ęternam ſalutem & animarum beatitudinem per ſe non ſunt neceſſaria, néque verum Dei cultum Deo reddunt acceptiorem; reſpectu tamen hominum Religioni quoddam decus addunt. Adiaphora quid ſint.

16 Hęc autem appellatio quamuis expreſsè in ſacris Literis non reperiatur: tamen rem ipſam deſcribit Apoſtolus; quòd quędam ita comparata ſint, ἐν οἷς οὐ δεδούλωται ὁ ἀδελφὸς ἢ ἡ ἀδελφὴ in quibus frater aut ſoror non obligata eſt ad neceſſariam ſeruitutem, & ad cultum Deo pręſtandum, *1. Cor. 7. 15.*

17 Exemplis res tota clarior euadet. Liberum eſt homini Chriſtiano cœlibem viuere, vel matrimonium contrahere, modò caſtè viuat: Liberum item eſt Chriſtiano ſeruitutem ſeruire, vel ſeruitio ſe honeſtè liberare: Liberum in Primitiua Eccleſia erat circumcidi, vel circumciſione ſuperſedere. Item, accedere ad Gentilium conuiuia, ſiue ea vitare; modò ſua libertate

infirmiores non offendiſſet, nec hoſtibus calumniandi anſam præbuiſſet. Eodem pacto ciborum vſus & abſtinentia, dierúmq; obſeruatio in libero hominis Chriſtiani arbitrio poſita eſt, modò caueatur ſuperſtitio & leuitas. *Matth. 11. 18, 19. 1. Cor. 8. 8. &c.*

Quid Rei. 18 Sunt autem Adiaphora & Traditiones, eiuſmodi in Eccleſia ceremoniæ, ritus, actiones, res, opera ſiuè negotia, quæ expreſſo Dei verbo nec pręcepta, nec prohibita ſunt; boni ordinis, decori, ædificationis & diſciplinæ ergò in Eccleſiam introducta; quibus tutò vel vti, vel abſtinere abſque iactura religionis, vel læſione conſcientiæ poſſumus; quæque nec vtentem per ſe Deo reddunt commendatiorem, nec abſtinentem minùs Diuinæ Maieſtati acceptum.

Adiaphororum Genus eſt morale. 19 Genus horum morale eſt, cùm ſint determinationes circumſtantiarum neceſſariæ aut vtiles ad ſeruanda præcepta moralia primæ tabulæ; hoc eſt, ad conſeruandum ordinem & decorum in congreſsibus Eccleſiæ, & in vſu miniſterij Eccleſiaſtici; vel ad exercitia pietatis publica & priuata; vel ad vitandum ſcandalum infirmorum, & ad ducendos eos ad Eccleſiam & agnitionem veritatis.

20 Hinc ſequitur, quòd Cultus Dei ſint, nempe quoad Genus, non quoad Speciem. Dicam planiùs. NB.

21 Adiaphora, Traditiones, ſiue Præcepta hominum Eccleſiaſtica, ſunt Cultus Dei quoad *Morale*, non quoad *Ceremoniale*.

22 Exempli gratiâ. Cultus Dei eſt congreſſus Eccleſiæ ad pietatis officia exercenda: Cultus Dei ſunt preces publicæ & priuatæ, conciones ſacrę, &c. at non eſt Cultus Dei, hoc vel illo die, aut hora conuenire, preces, concionem aut cantum hac vel illa verborum forma, ſtando, aut flexis genibus recitare. Cultus Dei, eſt ſcandalo non lædere proximum; at non eſt cultus Dei veſci vel non veſci carnibus.

Atque hactenus declaratum eſt, quid ſint Adiaphora: Sequitur vt de Cauſis eorundem dicamus.

CAP. II.

¶ *De Adiaphororum Cauſis: ac primò de Cauſa* Efficiente.

Cauſa Efficiens Adiaphororum.

CAVSA EFFICIENS Adiaphororum, vel *Principalis* eſt: vel *Adiuuans.*

1. *Principalis.*

2 *Cauſa Principalis*, eſt DEVS, (à quo in Genere quidem mandata & inſtituta ſunt Adiaphora) in verbo ſuo fontem vnde petantur Epiſcopis & Eccleſiæ indicans, & eorum ingenia regens, linguáſq; dirigens. Vult enim DEVS omnia ordine, vt & ædificationi piorum & gloriæ ipſius quàm maximè aptum eſt fieri, (*1.Cor, 14.40*) cùm ordinis & non confuſionis DEVS ſit.

2. *Adiuuans*, hæc eſt vel

3 *Cauſa Adiuuans*, vel *Tota Eccleſia* eſt, vel *Homines quidam intelligentes*, quibus Eccleſia talem Adiaphororum inſtitutionem mandat.

Tota Eccleſia,

4 *Tota Eccleſia*, quia penes illam ius eſt in ſpecie ritus & ceremonias inſtituere & præſcribere, (omnia enim Eccleſiæ ſunt, *1.Cor. 3.22*) quæ officium ſuum facit *libera* & *pia* voluntate. *Libera*, vt planè non ſit ab vllo coacta. *Pia*, id eſt, ad voluntatem DEI accom-

accommodata, quæ tantùm gloriam Dei & piorum ædificationem ſpectet, non vlla humana commoda per talia Adiaphora venetur.

5 Hanc autem rituum inſtitutionem demandare debet Eccleſia *Certis quibuſdam pijs, ſapientibus, & circumſpectis Hominibus*, quos videt diuinitùs donis ornatos & illuminatos eſſe, ac talia dijudicare poſſe. Sicut Apoſtoli mandant Eccleſię, vt tales Diaconos eligat ac conſtituat. (*Actor.6.3.*) Et electum illud Dei organon, Eccleſię Corinthiorum ſcribit, vt Iudices conſtituat, qui lites & cauſas Chriſtianorum cognoſcant & dirimant. *1.Cor.6.7.*

Vel quidam Homines.

6 De quibus tamen Ceremonijs iudicium Eccleſiæ eſt permittendum, ſicut & tota Doctrina, quę à Miniſtris & Doctoribus proponitur, dicente Apoſtolo; *Duo aut tres Prophetæ ſurgant & doceant, reliqui dijudicent. Quòd ſi ſedenti fuerit reuelatum, taceat prior. Spiritus enim Prophetarum Prophetis ſunt ſubiecti.* (*1.Cor. 14.29,30,32.*) Et Doctores Eccleſiæ non ſunt Domini, ſed Miniſtri & Serui.

7 Ex his quę de Cauſa Efficiente dicta ſunt, apertè conficitur; Adiaphora illa, quę quidem ritè & legitimè ab Eccleſia inſtituta ſunt

Traditiones Eccleſiaſticæ non ſunt merè Humanæ, ſed etiam Diuinæ.

ſunt & comprobata, ſic humana eſſe, vt etiam Diuina ſint; adeóq; auctoritatem habere pluſquam humanam ſolùm, imò etiam planè DIVINAM.

8 Ratio eſt, quia Eccleſia regitur à Spiritu Chriſti, qui eſt Veritas. Ergo, Præcepta Eccleſię in rebus Adiaphoris vera ſunt & ſancta.

9 Deinde, Eccleſia Chriſti, cùm ſemper pendeat à verbo DEI, vt ſi (quod fieri tamen nequit) ab illo deficeret, non eſſet Eccleſia Chriſti: ideò Traditiones, quas condit, ſunt DEI auctoritate fundatę, & ex verbo DEI deſumptę, ideóq; DIVINAE.

10 Exemplum ſit in Veſte linea, quam induunt Miniſtri, dum ſolennes habentur precationes, aut Sacramenta adminiſtrantur.
[illegible] Quæritur, ſit ne HVMANA traditio?
[illegible] Reſpondeo, Sic eſt HVMANA, vt etiam ſit DIVINA. DEI eſt, quatenus eſt pars Decori illius, cuius cura & obſeruatio nobis per Apoſtolum commendatur (*1. Cor. 14. 37, 40.*) Hominum autem eſt, quatenus ſpecialiter deſignat, quod in Genere fuerat
NB. indicatum, magis quàm expoſitum. Horum enim eſt decorum & ordinem in genere traditum in Euangelio determinare ad certum modum. Ab hoc vno exemplo æſtimare

mare licet, quid de toto hoc genere ſit ſentiendum.

11 Cauſæ Efficienti repugnantia ſiue contraria, ſunt I. Sacros ritus pugnantes cum inſtitutione & Verbo Dei excogitare. Cauſæ Efficienti Contraria.

12 Quales ſunt in Eccleſia Antichriſti, Primatus Papę Romani, Sacramenta Pœnitentię, Confirmationis, Ordinis, Matrimonij, Externę vnctionis, Oblatio ſacrificij Miſſę, Communio ſub vna ſpecie, Imagines Crucifixi, Inuocatio Sanctorum, Preces pro defunctis, Purgatorium, Indulgentiæ, Cœlibatus Sacerdotum, Auricularis confeſsio, Satisfactiones Papiſticæ, &c.

13 II. Legitimè rectóque conſilio ab Eccleſia inſtitutas ceremonias contra verbum Dei peruertere.

14 III. Adiaphora obſeruanda obtrudere ſine Eccleſię conſenſu atque libera voluntate.

15 IV. Adiaphora legitimè imperata & recepta, ſupina negligentia prætermitte, vt merè humana contemptim habere, vt ſuperſtitioſa aut idololatrica æſtimare.

16 V. Antichriſti Eccleſia ſiue Papatus, Pſeudoprophetę & Hæretici, qui Eccleſiam

cleſiam Dei in ritibus externis incurrentibus in oculos ſunt imitati.

Hactenus de Cauſa Efficiente: Sequitur de Materia.

CAP. III.

¶ *De* MATERIA *Adiaphororum.*

Materia Adiaphororum.

MATERIA Adiaphororum duobus modis conſiderari poteſt: vel vt *Conſtituens*: vel vt *Concomitans*.

I. Conſtituens.

2 I. Materia *Conſtituens*, συστατικὴ, ſiue *Ex qua* conſtant ſcilicet Adiaphora, ſunt ceremoniȩ, actiones, res, opera aut negotia, quȩ certis ritibus adminiſtrantur & peraguntur.

3 Sunt autem vel Verba certa, vt in benedictionibus: vel Actiones, vt in geſtibus particularibus: vel denique loci, temporis, aut perſonæ rationem habent.

II. Concomitans, quæ eſt vel

4 II. Materia *Concomitans*, prout rationem vel *Subiecti* habet, vel *Obiecti*, duplex eſt, *In qua*; & *Circa quam*.

In qua.

5 Materia *In qua*, quȩ Subiecti rationem habet, eſt Eccleſia Chriſti, in qua ritè peraguntur & exercentur Adiaphora, ad

liberam

liberam ipſius voluntatē & beneplacitum.

6 In Eccleſię enim poteſtate & arbitrio reliquit Devs ſingula adiaphora, ceremonias, & ritus externos diſponere atque ordinare ad ſui conſeruationem, vtilitatem, decus, ordinem & diſciplinam. Quod de Primitiua Eccleſia Apoſtolorum temporibus verum fuiſſe ex ipſis ſacris Scripturis manifeſtè liquet; nec de pręſenti quiſquam negare poteſt.

7 Cùm enim idem ſit Spiritus gubernans Eccleſiam omnium temporum; cur non liceat ſequentibus etiam temporibus Eccleſię inſtituere leges de externis ritibus? NB.

8 Materia *Circa quam* verſantur Adiaphora, quę quidem Obiecti rationem habet, ſunt Cultus Dei, Religio pura, & neceſſaria Confeſsio. Vel Circa quam.

9 Hæc enim, vt & ſuprà monuimus, determinationes ſunt neceſſarię vel vtiles ad ſeruanda præcepta primæ Tabulæ legis Moralis.

10 Repugnat huic doctrinę, de Materia Adiaphororum, vel mutare materias eorum, vel heterogeneas & alienas ſupponere, quales ſunt: Contraria Materiæ.

11 I. Res diuinitùs præceptę, fidem aut bona opera concernentes, quæ inter Adiaphora

phora Epicurei referri ſolent; quibus perinde eſt ſiue pietatem ac charitatis officia exerceant, ſiue non.

12 II. Quæ diuina auctoritate ſunt prohibita; qualia ſunt peccata contra ſingula Dei præcepta, quorum plurima homines profani inter adiaphora numerant, imprimis verò blaſphemiam, ebrietatem, commeſſationes, vſuras, fraudes mercatorias, Simoniam, luxum & licentiam, & quę ſunt huius generis.

13 Sunt etiam, qui ſimplicem (quam vocant) ſcortationem inter Adiaphora referre non erubeſcunt. Sed cùm de his & ſimilibus manifeſtæ exſtent prohibitiones in lege Morali, Epicureę profanitatis eſt ea numero τῶν ἀδιαφόρων adſcribere velle.

Sic fuit de Materia: Sequitur de Forma.

CAP. IV.

¶ *De* Forma *Adiaphororum.*

Forma Adiaphororum.

FORMA Adiaphororum vel *Externa* eſt, vel *Interna.*

Externa.

2 *Externa* Adiaphororum forma, eſt quòd tales ſint Canones ſiue Traditiones, quæ extra Scripturas quidem, ſed non ſine fundamento

damento Scripturarum prudenter, ſapienterq; conceptę ſunt.

3 *Interna* Adiaphororum forma dupliciter conſiderari debet; vel *Communiter* ſecundùm ſe totam: vel *Specialiter*, prout ſingula Adiaphora ſuam habent peculiarem rationem.

Interna, quæ duplex eſt.

4 I. *Communiter* forma Adiaphororum, eſt ipſa ἀδιαφορία & indifferentia, vt ita dicam, quia hoc omnibus Adiaphoris eſſentialiter à natura ineſt, videlicet vt ſint libera, pro cuiuſque Eccleſiæ ratione ſecundùm circumſtantias temporum, perſonarum, & pro re nata & occaſione: nam ſi libera non eſſent, neque ampliùs ἀδιάφορα eſſent.

I. Communis.

5 Dominus Devs omnes ſui Nominis cultus partes, & quicquid ad ſalutem neceſſarium, S. Scripturâ fideliter complexus eſt, ac proinde nil citra apertum illius teſtimonium in religione admittendum, tanquam abſolutè ac ſimpliciter neceſſarium vel ad credendum, vel ad faciendum.

6 At verò in externa Eccleſiæ Diſciplina, ceremonijs & gubernatione, non voluit ſigillatim præſcribere quid ſequi debeamus, quia hoc à temporum conditione pendere, neque Vnam ſeculis omnibus formam conuenire prouideret.

Diſciplinam & Ceremonias variè accommodari poſſe ad ædificationem, pro moribus cuiuſque gentis & ſeculi.

7 Ideò

7 Ideò confugere hîc oportet ad regulas, quas in Verbo ſuo generales dedit, vt ad eas exigantur quæcunque ad Ordinem, aut Decorum præcipi neceſsitas Eccleſiæ poſtulat.

8 In quibus mutari & tolli poſſunt quę Ædificationi Eccleſiæ non ſeruire; & quæ huc facere videntur, inſtitui aut retineri, pro Eccleſiarum, gentium, locorum, temporum, aduerſariorum & aliarum circumſtantiarum varietate. Non enim neceſſe eſt hæc eadem eſſe in omnibus Eccleſijs, aut omnibus temporibus, ſed ad vtilitatem Eccleſię accommodanda ſunt; ideóque commutabilia ſemper & liberrima exſiſtunt.

Quomodo libera ſint Adiaphora.

9 Sed Libertas hæc dupliciter conſideratur: vel enim dicitur *Reſpectu totius Eccleſiæ*; vel *Reſpectu priuati vniuſcuiuſque in Eccleſia.*

10 1. *Reſpectu totius Eccleſiæ* (particularem intelligo) libera ſunt omnia Adiaphora; quia & vſitata mutare & abrogare, & noua inſtituere, vbi id expediat, poteſt.

N B.

11 Ideóque nulla Eccleſia alteram propter indifferentium ceremoniarum diuerſam obſeruationem, tanquam Eccleſiæ deſertricem, ſeditioſam, ſchiſmaticam, auulſam à populo Dei, & excluſam à com-

munione Sanctorum condemnare poteſt.

12 Sicut hoſtili animo *Victor* Epiſcopus Romanus iniuſtè & tyrannicè egit, cùm totam damnauit & excommunicauit Eccleſiam Orientalem, quòd non vnà cum Occidentali eadem die feſtum Paſchatos celebraret. *Euſeb. Hiſt. Eccleſiaſt. lib.5. cap.24.*

13 Hanc opinionem de Neceſsitate imprimis oportet taxari, ne exiſtimetur iuſtitia Euangelij eſſe talis externa Politia, item ne oriantur diſcordiæ propter aliquam talium rituum diſsimilitudinem.

14 Donata eſt hæc in Euangelio libertas, nec poteſt aboleri humana auctoritate.

15 Sic Chriſtus vult nos ſentire, non neceſſarios eſſe ritus, ſeu Moſaicos, ſeu humanarum traditionum; vt (*Coloſſ. 2.16.*) *Nequis vos damnet ob cibum vel potum, &c.* id eſt, nemo obliget ac iudicet conſcientiam propter hos ritus.

16 Rurſus, *Si mortui cum Chriſto, liberi eſtis ab elementis mundi*; id eſt, à præceptis ſeu ordinationibus, quibus hæc mundana vita regitur; *quid, vt viuentes in mundo, ritibus oneramini? Ne ederis, neque guſtâris, neque attigeris? Coloſſ. 2.20,21.*

17 Et (*ad Galat. 5.1.*) *In libertate qua Chriſtus vos liberauit, perſtate, & ne regredientes*

implicamini ſeruitutis iugo. Iubet ſententiam de libertate retinere, ne conſcientiæ ſtulta carnificina excrucientur; aut excitent diſcordias, ſiqua ſit Eccleſia, quæ noſtros ritus & ceremonias non obſeruet.

Non licet priuato cuiquam Eccleſiæ Traditiones violare.

18 2. *Reſpectu priuati vniuſcuiuſq; in Eccleſia,* Libertas ea talis non eſt, vt quiſquam per ſupinam negligentiam, faſtum aut contumeliam, quod ab Eccleſia inſtitutum fuit, ſine graui ſcelere violare debeat.

19 Alioquin, quantarum rixarum ſemen futura eſt earum rerum confuſio, ſi prout cuique libitum ſit, mutare liceat, quę ad communem ſtatum & politiam Eccleſiaſticam pertinent; quando nunquam futurum eſt, vt omnibus idem placeat: ſi res velut in medio poſitæ, ſingulorum arbitrio relictæ fuerint?

20 Nec ſatis eſt vociferari: *Epiſcopi non habent poteſtatem leges condendi, ideò licet violare traditiones.* Debemus enim obedire, ſed ita, ne opera illa inſtituant tanquam cultus, aut tanquam res profuturas ad promerendam remiſsionem peccatorum; ſicut infrà dicetur.

Eccleſiaſticarum legum condendi poteſtas, qualis eſſe debeat.

21 Quòd autem ad leges condendi poteſtatem. Non conſtituenda eſt in Eccleſia hæc tyrannis, quòd oporteat Laicos (quos vocant)

vocant) aſſentiri, & applaudere omnibus, ſine delectu, quæ decreuerint Epiſcopi.

22 Nec debet eſſe Δημοκρατία qua promiſcuè concedatur omnibus licentia vociferandi, mouendi dogmata, & ritus conſtituendi: Sed Ἀριστοκρατία ſit, in qua, ordine hi qui præſunt Epiſcopi & Principes communicent conſilia. Cognitio enim de doctrina & ritibus *ad Eccleſiam* pertinet, hoc eſt, ad Epiſcopos & Principes: qui etiam re cognitâ & iudicatâ, iam cuſtodes eſſe debent externæ diſciplinæ, & executores ſententiæ Synodi, vt videlicet idololatricos cultus, blaſphemias, impia dogmata, verè indifferentium & vtilium rituum contemptum prohibeant & profeſſores puniant.

23 II. *Specialiter*, forma Adiaphororum, eſt qua ſingula Adiaphora peculiarem habent rationem a Deo & Eccleſia traditam & determinatam; quam quidem fas non eſt priuati cuiuſquam ſpiritus auctoritate & arbitrio immutare. *2. Specialis.*

24 Formæ contraria ſunt, I. Immutare formam rituum ab Eccleſia ſecundùm Canonem Diuinæ veritatis traditorum, quadam vel *Hypocriſi*, vel *Impietate*. Contraria Formæ.

25 *Hypocriſis* hîc dupliciter peccat; 1. *In Exceſſu*, quando cumulat externas ceremo-

 nias.

nias. 2. *In Defectu*, quando vel legitimè conſtitutas contemnit; vel omnes omninò rejicit.

26 *Impietas* ſubſtituit alias Ceremonias, deletis veris; vt Antichriſtus fecit.

27 II. Ceremonias ſuperſtitioſè obſeruare ac fidem omittere, Verbum Dei non audire ac diſcere: & ſibi perſuadere, quòd ex opere operato Deo placcant.

Atque hæc de Forma:
Sequitur de Fine.

CAP. V.

¶ De Fine *Adiaphororum.*

Finis Adiaphororum.

FInis Adiaphorum, is eſt quem Apoſtolus (*1. Cor. 14*) præſcribit: vt omnia *Decenter, Ordine,* & ad *Ædificationem* in Eccleſia fiant.

2 Vult enim Devs homines publicè conuenire, vt audiant Verbum Dei, vtantur Sacramentis Verbo gratiæ adiunctis, & Devm ſimul inuocent ac laudent: non more ferarum in ſpeluncis delitescere, atque ibi ſecum, quemadmodum vrſi faciunt, immurmurare.

Ordinis neceſſitas.

3 Vbi nullus ordo, nulla diſciplina, doceri

ceri homines non poſſunt: Neceſſe eſt autem doceri & audiri Euangelium. Nam Devs non aliter colligit Eccleſiam, niſi voce Euangelij: nec aliter Spiritus Sanctus efficax eſt, niſi per Euangelium: nec vlla eſt Eccleſia Electorum cogitanda, niſi in hoc cœtu viſibili, in quo Euangelium rectè & purè docetur. Ergo hic viſibilis cœtus amandus & fouendus eſt, & retinendum Euangelij miniſterium, vt fiant honeſti congreſſus; ad quos hortari pios debent,

Quæ homines ad publicos congreſſus Eccleſiæ frequentandos excitare debeant.

4 I. Voluntas Dei declarata mandatis certis de conſeruatione Miniſterij, & de ſanctificatione Sabbati.

5 II. Neceſsitas noſtra: quia res oſtendit, inuocationem Dei & totum ſtudium pietatis paulatim langueſcere in ijs, qui abſtinent à congreſsibus publicis.

6 III. Magnitudo beneficij diuini colligentis ſibi Eccleſiam per Miniſterium, quod ipſe ingenti bonitate inſtituit, conſeruat, & ſubinde inſtaurat in genere humano.

7 IV. Promiſsio diuinitùs tradita de præſentia Dei in hiscœtibus, & de efficacia precationum publicarum.

8 V. E regione etiam pœnarum conſideratio, quas minatur Deus contemptoribus Miniſterij, quales ſunt cæcitas, pœnæ

 priuatæ,

priuatæ & publicæ, inter quas grauiſsima eſt, fames verbi, tyrannis Diaboli, licentia vitæ & morum.

9 VI. Accedit huc ratio ſcandali, quod committitur, cùm noſtro exemplo alij quoque fiunt negligentiores.

10 VII. Ἐνέργεια illa efficax conſolationis dulciſsimæ, quòd tantùm in cœtu vocatorum ſint Electi.

11 IIX. Quòd hi congreſſus ſint Imago vitæ æternæ, vbi Filius Dei λόγος nos docebit, patefaciens omnes theſauros ſapientiæ diuinæ: & DEVS immediatè ſe nobis communicabit.

12 Ad hæc, legibus, ordine & ritibus aliquibus opus eſſe conſtat.

Legum Eccleſiaſticarũ neceſſitas.

13 Hinc colligitur NECESSITAS Legum & Traditionum Eccleſiaſticarum, quibus tanquam vinculis quibuſdam *Ordo* ipſe & *Decorum* conſiſtat.

14 Quæcunque autem *Ordine* fiunt, ea & *Decenter* fiunt: & quæcunque *Ordine* ac *Decenter*, ea etiam & ad *AEdificationem* ſpectant: Ita vt ſub vno ferè *AEdificationis* nomine tota Finalis indifferentium Ceremoniarum cauſa contineri videatur. Dicemus tamen de ſingulis ſigillatim, ac primò de *Ordine*.

15 ORDO

15 ORDO in Eccleſia, eſt ea compoſitio, quæ omnem confuſionem, barbariem, contumaciam, turbas omnes & diſsidia tollat. *Ordo in Eccleſia quid ſit.*

16 Paulus grauiſsimè dixit (*1. Cor. 14. 40.*) Πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω: vbi non ordinem tantùm, ſed ſingularem etiam curam ornandi ordinis requirit. Quare addidit εὐσχημόνως, vt videamus quid perſonas, loca, tempora deceat.

17 Maiore modeſtia in templis conueniatur, quàm in theatro. Actio & oratio docentium ſit placidior, & grauior in illo cœtu diuinitùs conuocato, cui Chriſtus & Angeli interſunt, quàm in Scena.

18 In ordine duo continentur; *Primum eſt*, vt Paſtorum & Auditorum vnuſquiſque quod ſui officij eſt ritè exſequatur; vt ad obedientiam DEI rectámque diſciplinam aſſueſiat.

19 *Secundum eſt*, vt benè compoſito Eccleſiæ ſtatu, paci, concordiæ mutuæ & tranquillitati conſulatur.

20 Ruſùs, Quæ ſub Ordine comprehenduntur, vel ad *Perſonas*, vel ad *Tempus* & *Locum*, vel ad *Actiones* referri poſſunt. *Sub Ordine comprehenduntur.*

21 Quod ad *Perſonas*. *Alij* debent eſſe Doctores, Paſtores, & Miniſtri Eccleſiæ: *1. Perſonæ.*

Alij Auditores: *Alij* ſecundùm ætatem, eruditionem, & alia dona, quòd Eccleſiaſticam politiam attinet, ſuperiores: vt etiam Paulus ſuperiores facit Epiſcopos Diaconis. Et donorum ratione Devs ipſe diſcrimen & ordinem facit. *Epheſ.4.*

22 Non enim omnes dona ſimilia habent: non omnes idonei ſunt ad dijudicandas obſcuras controuerſias doctrinæ: non omnes poſſunt conſtituere iudicia.

Epiſcoporum in Eccleſia vſus & neceſſitas.

23 Et cùm in hac imbecillitate humana neceſſaria ſit inſpectio aliqua prudentiorum, & neceſſaria ſint iudicia; oportet eſſe certa loca, certas perſonas ad quas negotia referantur.

24 Hæc loca cùm perſonis & opibus ita inſtructa eſſe oporteat, vt, quantum humana diligentia prouideri poteſt, ſpes ſit politias illas multis ſeculis manſuras eſſe; ideo oportet *Epiſcopos* eſſe, tanquam gradum, ſupra reliquos Presbyteros.

25 Omnis autem gubernatio miniſtros & ſumptus requirit. Quare & Epiſcopis opus eſt aliquâ frequentiâ doctorum hominum ad ordinationem rectè exercendam, ad examina, ad inſtitutionem ordinandorum, ad viſitationem, ad iudicia, ad conſilia, ad ſcribendum, ad legationes, ad Synodos

ſeu

ſeu Concilia: ſicut *Athanaſij, Baſilij, Ambroſij*, & ſimilium gubernationes plenæ fuerunt occupationum, & multas Eccleſias complexæ ſunt, vt multæ gentes aduerſus Hęreticos munirentur, & in Synodo aliqua frequentia Doctorum eſſet. Ita *Ioannes Euangeliſta*, & deindè *Polycarpus* & alij multi, pulcherrimos cœtus hominum eruditione & virtute præſtantium, docentium & auditorum, ſecum habuerunt.

26 Ad hæc negotia multis collegis & miniſtris opus eſt; qui cùm non poſsint ſine victu & ſtipendijs viuere, neceſſe eſt etiam Epiſcopos, qui faciunt neceſſarios ſumptus in gubernatione, habere facultates aliquas.

27 Porrò, Inferiores miniſtri per certos quoſdam gradus ſubindè ad grauiores & ampliores functiones, & aliqua maiora commoda promoueri poſſunt: cuius rei Paulus facit mentionem, cùm inquit, *Bonum ſibi gradum acquirunt, &c.* ne ſicut quidam dixerat, priùs ad clauum ſedeant, quàm remigauerint.

28 Iam verò, ſi politia Epiſcoporum, contra conſenſum DEI & Eccleſiæ omnium temporum diſsiparetur, ſecutura eſſet tyrannis, barbaries & infinita vaſtitas; quia Reges & Principes, qui mundana imperia tenent,

Politiæ Eccleſiaſticæ diſſipatio barbariem & vaſtitatem affert.

tenent, plerúnque occupati ſunt alijs negotijs, & pauci Eccleſias curant.

2. *Tempora.* 29 Sic etiam certa ſint *Tempora*, dies & horæ, quibus conueniatur; certæ ſint Lectiones & cantiones temporibus conuenientes.

De Feſtis diebus. 30 Quare nec ſeries dierum feſtorum temerè inſtituta eſt: non enim omnes hiſtoriæ vno die recitari poſſunt, ſed aliam partem alio tempore proponi commodius eſt. Et cùm diſtributio temporum congruit cum euentibus, non ſolùm gratior eſt, ſed etiam memoriam adiuuat.

31 Nec tantùm homines ſeriem certam dierum ſeruârunt, ſed etiam Devs ipſe quorundam feſtorum ordinem ſuis mirandis factis in veteri & nouo Teſtamento pariter ſeruauit.

32 Vt Agnum Paſchalem initio Veris voluit mactari; ita eodem anni tempore Dominus noſter Iesvs Christvs crucifixus eſt & reſurrexit. Vt quinquageſimo die poſt exitum ex Ægypto promulgata eſt lex manifeſto teſtimonio de monte Synai; ita quinquageſimo die à Paſchate datus eſt manifeſto teſtimonio Spiritus Sanctus.

33 Præterea, ſit publicus deſtinatus *Locus*

cus ſacris Eccleſiæ actionibus. Nam quòd temporibus Apoſtolorum, & poſtea in Primitiua Eccleſia conuenerint noctu, & in priuatis ędibus, imò etiam & in ſubterraneis locis, quę *Cryptæ* ab abſcōdendo dicebātur, ex neceſsitate id factum eſt, quæ lege caret. *3. Locus.*

34 In *Actione* verò, cùm iam populus frequentior fuerit, fiant Orationes & preces noto ſermone, legatur aliquid ex ſacris literis, & reliqua pietatis exercitia peragantor, prout maximè Ordini conuenire videbitur. *4. Actio.*

35 Inprimis autem quæ diſciplinam conſeruant; vt Catecheſis, cenſurę Eccleſiaſticæ, ieiunia, &c.

36 Videndum porrò eſt, ne plures *Actiones* in cœtu ſimul fiant, quæ ſe mutuò impediant, vt apud Corinthios factum eſt, cùm plures ſimul apud populum loquuti ſint; & cùm diuerſi ſimul Cænam Domini ſumſerint, alijs quidem ebrijs, alijs verò adhuc eſurientibus, *1. Cor. 11. 18. & ſeqq.*

37 In Papatu talis ἀκαταστασία valdè frequens fuit: Simul enim plures, eáſque diuerſiſsimas Miſſas & Officia in eodem templo celebrârunt.

Hactenùs de Ordine:
Iam de Decoro.

38 De-

Decorvm, & quæ huc pertineant.

38 Decenter tunc aliqua fiunt in Eccleſia, quando cum grauitate & dignitate quadam, iuxta ac cum pietate omnia peraguntur.

39 Vt, decet potiùs viros in Eccleſia loqui & omnes functiones obire, quàm fœminas, ſicut & Paulus præſcribit. Item, Seniores potiùs quàm iuniores, & manè potiùs quàm veſperi; ob quam cauſam Eccleſia Cœnam Domini in antemeridianum tempus tranſtulit.

40 Huc pertinent ea quæ Apoſtoli, de Conuentibus ſacris die Dominico agendis (*Act.20.7. 1.Cor.16.2.*) de modo & ordine prophetandi, pſallendi & orandi in cœtibus ſacris (*1.Cor.14.5. & ſeqq.*) de velandis mulieribus (*1.Cor.11.5,6.*) de ritu ordinandi Eccleſiæ miniſtros (*1.Tim.3,4.Tit.1.7.&c.*) tradiderunt.

N B.

41 Quæ licèt ab ipſis Apoſtolis ſancita ſint, longè tamen inferiore loco, quàm fidei dogmata ab iiſdem tradita, habentur. Illa enim mutantur, hæc non item.

Decori duplex Finis.

42 Decori finis duplex; *Primus*, vt dum adhibentur ritus, qui venerationem rebus ſacris concilient, talibus adminiculis ad pietatem excitemur.

43 *Secundus*, vt modeſtia etiam & grauitas,

tas, quæ in omnibus honeſtis actionibus ſpectari debet, illic maxime eluceat.

44 Conformitas quóque ad Decorum pertinere videtur. Decet enim vt in grauioribus negotijs, cùm res aliquæ eiuſdem veluti ſpeciei ſint, ſimilem etiam quaſi veſtitum ac accidentia habeant. Quare in Miniſterio *Conformitas* quædam requiritur. Conformitas ad Decorum pertinet.

45 Ibi enim varietas & diuerſitas ſpeciei externæ, non tantùm leuitatem quandam, ſed & quaſi religionis diuerſitatem præ ſe fert, atque ita etiam ſcandalizare imperitiores videtur.

46 Eſt autem *Conformitas*, quædam ſimilitudo inter ſe partium, aut etiam rerum prorſùs diſiunctarum. Conformitas quid ſit.

47 Hæc verò in Eccleſia, aut in *Maioribus* & Subſtantialibus: aut in *Minoribus* & Acceſſorijs requiritur.

48 Quæ in *Maioribus*, id eſt, in Doctrina Sacramentíſq;, ea planè eſt neceſſaria, nec vllo modo adiaphoron.

49 Si enim non eſſet vna fides, vnum Baptiſma, vnus Mediator apud omnes Eccleſias, neceſſariò aliquæ in errore eſſent.

50 In *Minoribus*, vt Ceremonijs & ritibus externis, non eſt abſolutè neceſſaria Conformitas: ſed & hæc etiam aliquatenus,

nus, quantùm quidem fieri poteſt, ſectanda eſt, tum ob Decorum, tum ob tollendum imbecillium Scandalum.

Atque hæc etiam de Decoro.

Ædificatio.

51 Ad Ædificationem porrò hæc ipſa, quæ Decenter & Ordine fiunt, referri & poſſunt, & debent.

52 Neque enim grauitas diuini Miniſterij otioſam quandam, theatricámq; decentiam & ordinem requirit, ſed ſimul omnia quoque ad Aedificationem, id eſt, promouendam veram pietatem vult ſpectare; vt ſeruiant ſcilicet diuino cultui, vel ſpirituali & interno; vel corporali & externo, qui tamen etiam propter internum eſt inſtitutus.

53 Duo enim ab ijs requiruntur qui aliquid in Eccleſia vel dicunt vel faciunt. *Vnum* eſt, vt quod agunt ex propoſito Aedificationis agant. *Alterum*, vt eo modo agant, quo ad Ædificationem facere poſsit.

Diſciplina ac cenſuræ ad Ædificationẽ ſpectant.

54 Ad hunc finem, nempè ad *AEdificationem* quoque ſpectat Disciplinae cura, Excommunicatio, aliæque moderatæ, & non ſuperſtitioſæ Cenſuræ, quibus Præſules Eccleſiaſtici cogere cùm alios homines ad honeſtam & ſobriam vitam, tum imprimis Eccleſię Miniſtros debent, & omninò

ninò id ſeriò agere, ne homines libertate Spiritus ad libertatem Carnis abutantur.

55 At verò quia profani & Epicurei homines ſe ab Eccleſiæ Præſulibus coërceri plerúmque indignè ferunt & tumultuantur; Ciuilis Magiſtratus his adiumento eſſe debet.

Ciuilis Magiſtratus Eccleſiaſticis Præſulibus adiumento eſſe debet.

56 Sed ad officium hoc præſtandum multi negligentiores reperiuntur: timentes ſci. ne potentia Miniſtrorum Eccleſię ſit eis nimis grauis: ipſi enim Euangelio dominari volunt, cuius ſuaue iugum nullo modo perferre aut pati poſſunt.

57 Atque ita verè ſtulti homines, dum vitia fugiunt, in contraria ruunt.

58 Sicut olim Antichriſti Spiritualibus non aliter ac Dijs quibuſdam ſe ſubjecerunt, eóſq; fermè adorârunt: ita iam ſe non ſatis liberos putant, niſi Euangelium & D. Iesv Christi fideles Miniſtros pedibus conculcent, eíſque veluti Mancipijs ſuis imperent.

59 Sed vlciſcetur profectò adhuc Devs horribiliter hunc ſacri Miniſterij ſceleratum contemptum, & pro reſtituta Chriſtiana libertate nefariam ingratitudinem.

60 Fini Contraria ſunt, I. Ad quæſtum proprium aut Ceremonias inſtituere, aut

Contraria Fini.

aut inſtitutis abuti.

61 II. Cum opinione cultus, aut meriti, aut perfectionis, aut abſolutæ neceſsitatis ceremonias proponere aut obſeruare.

62 III. Nimis multis ceremonijs onerare Eccleſiam, ac magis neceſſarias actiones impedire aut negligere.

63 IV. Prorſus nullas neceſſarias atque vtiles Ceremonias, ad bonum ordinem ſpectantes, admittere aut habere.

64 V. Crebrò & ſine grauiſsimis rationibus Ceremonias vſitatas immutare, quæ quidem res vacare ſcandalis non poteſt.

65 VI. Ordinem conſtituere in illis nugatorijs pompis, quæ nihil habent præter euanidum ſplendorem.

66 VII. *Decorum* vocare id, in quo nihil præter inane oblectamentum ineſt, & vbi luxus ſine fructu apparet.

67 IIX. Non ad *AEdificationem*, ſed ad deſtructionem, non neceſſarias, ſcandaloſas, vel impias Ceremonias fucis & præſtigijs artificioſè pingere, ac commendare ad decipiendum ſimpliciores.

Hæc de Fine. Atque hactenus de Cauſis Adiaphororum diximus.

CAP.

CAP. VI.

¶ *Quæ ſint vera Adiaphora.*

QVAE vera ſint Adiaphora, quæ non; ex his quæ huc vſque de Adiaphororum Definitione & Cauſis vtcunque diſputauimus facilè colligitur.

2 Ad fuſiorem autem rei demonſtrationem & planiorem intelligentiam; ne quis error in vſu τῶν ἀδιαφόρων committatur, ſequentes *Diſtinctiones*, *Canones*, & *Cautiones* diligenter obſeruandæ ſunt. Vera Adiaphora quomodo dignoſci poſſint.

3 I. Ceremoniæ vniuſcuiuſque, ritus, rei, actionis, facti, operis, &c. Genus, aut *Præceptum* eſt à DEO, aut omninò *Prohibitum*. 1. Diſtinctio.

4 Si *Præceptum* ſit Genus, tum Species, opus, res, actio, ſiue factum ipſum rectè cenſetur ἀδιάφορον.

5 Exemplo ſit. Hoc Genus, *Ordo aut Decorum in Eccleſia ſeruandum*, præcipitur à DEO (*1. Cor. 14. 40.*) Ergo, Omnes huius Generis ſpecies, circumſtantiæ loci, temporis, perſonæ, veſtitus, &c. ſunt liberæ & indifferentes.

6 Sin autem *Prohibitum* ſit genus, tum

 nequa-

nequaquam medium & indifferens opus dicetur.

7 Vt, Prohibitum eſt, ne quis colat DEVM mandatis hominum. Ergo, Miſſa papiſtica, & huius generis reliquæ ἐθελοθρησκείας ſpecies, quæ ſub vetito genere continentur, non ſunt in Adiaphoris ponenda.

2. Diſtinctio.

8 II. Adiaphora, *Quædam certo tempore ſolùm* libera ſunt: *Quædam verò ſemper* ſunt talia.

9 *Certi temporis ſolùm Adiaphora*, fuerunt in Eccleſia Apoſtolica Feſtorum Moſaicorum obſeruatio, circumciſio, & alia quoque ceremonialia Moſis; nam infirmioribus licebat ea obſeruare; aliâs liberum erat eadem negligere.

10 Hæc ante Chriſti aduentum non erant libera & indifferentia, ſed fuerunt de rebus ad pietatem neceſſarijs, quandoquidem à DEO erant præcepta.

11 Sed tempore Apoſtolorum licèt abrogata, indifferentia tamen facta ſunt, ita vt ſi quis ad tempus ea obſeruaret, pacis tantùm cauſâ, nihil peccaret.

12 Adde, quòd hæc DEI voluntas fuerit, vt non ſtatim ſed paulatim tollerentur ceremoniæ: neque enim voluit exſtare templum ſine aliquibus ceremonijs: ſed vbi penitùs

penitùs dirutum fuit templum, tum omnes etiam ceremonias ſepeliri voluit.

13 Atque hoc eſt, quod Auguſtinus ſcripſit ad Hieronymum, deducendam fuiſſe Synagogam cum pompa ad tumulum, & cum honore ſepeliendam.

14 Quapropter mox Eccleſiâ confirmatâ, deſierunt eſſe adiaphora: ſicut etiam hodiè prohibita ſunt in Eccleſia Chriſti, *(Galat. 5. 2.) Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*

15 *Semper Adiaphora* ſunt, Veſci carnibus, vel non veſci; vxorem ducere, aut cœlibem manere; linea veſte vti in rebus ſacris, vel ab ea abſtinere, &c.

16 III. Adiaphora dupliciter conſiderantur; Primò, *In ſe*, vt ſunt res mediæ, abſque relatione ad perſonas. Secundò, *Ex ratione perſonarum*, quæ illis vtuntur. 3. Diſtinctio.

17 *In ſe* conſiderata, & naturâ ſuâ Adiaphora omnia libera ſunt, & talia omninò quæ neque placent, neque diſplicent Deo, vt quæ nec ſub præceptum, nec ſub interdictum ipſius cadant.

18 At ſi *ex Perſonis* conſiderantur, tum vel *Licita* eſſe poſſunt; vel *Illicita*, pro ratione nimirum perſonarum aut hominum illis vtentium; qui duplicis ſunt generis.

19 Alij enim *Renati* ſunt; Alij *non-Renati.*

20 Renatorum, alij in fide *Firmi* ſunt; alij in fide *Infirmi.*

21 Si *Renati* homines vtentes Adiaphoris in fide *Firmi* ſint: hoc eſt, ſi de fide, non autem dubitante conſcientia (quæ ſcrupulum injiciat, vtrùm illa re eis vti liceat, illud agere bona conſcientia, an non?) aliquid agant, aut vtantur: tum *Licita* ſunt illis omnia, & Deo placet eorum in Adiaphoris obedientia.

22 Ex Dei enim verbo perſuaſum habere debemus, quid nobis permiſſum, quid præceptum, quid prohibitum ſit, iuxta illud (*Rom.14.5.*) Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω· Et (*verſ. 14.*) *Nihil eſt impurum per ſe: ſed ei qui exiſtimat aliquid eſſe impurum, ei impurum eſt.* Et (*verſ. 22. & 23.*) *Beatus qui non condemnat ſeipſum in eo quod approbat, &c.*

Quòd Adiaphora verbo Dei non careant.

23 Nec obſtat quòd Paulus dicat, *Quicquid non ſit ex fide peccatum eſt.* (*Rom.14 vlt.*) quia non omninò Verbo Dei carent vera Adiaphora, imò habent verbum, quatenus genus facti attinet, vnde æſtimationem capit opus coram Deo, vbi fides accedit. *1.Cor.14.37.*

24 Ezęchias non habuit verbum expreſſum

preſſum de tollendo æneo Serpente; attamen placuit Deo; quia genus facti mandatum eſt, nimirum tollere Idololatriam & Idololatriæ occaſiones. Quare hoc factum Ezechiæ, ex fide profectum, placuit Deo, eíque gratum fuit.

25 At verò, ſi *Infirmi* in fide adhuc ſint *Renati*: hoc eſt, ſi cum ſcandalo vel Sui ipſius, vel Aliorum, adiaphoris vtantur; tum illis *Illicita* ſunt, vt manifeſtum eſt.

26 Sin autem vtentes Adiaphoris *non Renati* & infideles ſint; his omninò *illicita* ſunt omnia, quia polluta ſunt mens & conſcientia illorum (*Tit.1.15.*) nam *Quicquid non ſit ex fide peccatum eſt*. (Rom. 14. vlt.) hoc eſt, pollutum, ac maledictum coram Deo.

27 Reſtat vt certiſsimam adferamus Regulam, quâ quæ Traditiones verè adiaphorę ſint, quæ non, certò agnoſcere poſsimus. Ea autem hæc eſt.

28 Si hæ traditiones vna ex parte fundamentum habeant aliquod in ſacris Scripturis, aut ſaltem his non repugnent; & ex altera, faciant ad pietatem promouendam, hoc eſt, tam ad internum cultum, qui conſiſtit in fide, ſpe, charitate, & bona conſcientia, excitandum, conſeruandum, promouendum;

Certa Regula quâ dignoſci poſſunt vera Adiaphora.

uendum; quàm ad externum, qui conſiſtit in Verbi auditione, ſacramentorum perceptione, & precibus publicis, reuerentiùs exercendum: has dicimus eſſe adiaphoras & vtiles, eoque vt pias & ſalutares (quando ab Eccleſia præcipiuntur) neceſſariò eſſe recipiendas & obſeruandas.

29 Ratio huius Regulę eſt, quòd omnes Apoſtolorum traditiones hæc duo habuerint, *primùm* Fundamentum in Verbo Dei; *deinde* Vtilitatem ad pietatem promouendam & Ædificationem.

30 Id quod dupliciter manifeſtum fit. 1. Ex generali regula, quam Apoſtolus pręſcribit de ijs rebus (*1.Cor.14.*) *Omnia ad ædificationem fiant:* Item, *Omnia decenter & ſecundùm ordinem fiant.* 2. Ex particulari locorum inductione, vbi legimus conſtitutiones Apoſtolorum. Exempla aliquot.

31 *1.Corinth.11.* Inſtituit Apoſtolus, vt in Eccleſia mulieres orent capite tecto, viri detecto. Primùm, hoc non repugnat ſacris Scripturis. Secundò, finis huius conſtitutionis, eſt honeſtas, decorum in Eccleſia ſeruandum, cóque ædificatio Eccleſiæ; hoc eſt, vt externus cultus maiori cum honeſtate & decoro exerceatur. Item, alius finis, vt quiſque ea ceremonia moneatur ſui officij,

ficij, hoc eſt, vt agnoſcat vir ſe caput eſſe mulieris: mulier ſuæ ſubiectionis, qua ſubiecta eſt viro. Hæc autem ſunt vtilia ad cultum internum.

32 Ibidem, Statuit Apoſtolus modum celebrandi Cœnam Domini; nimirum vt omnes ſimul conueniant, & alter alterum exſpectet. Primò, oſtendit hoc ex Verbo Dei, id eſt, ex inſtitutione Chriſti eſſe faciendum. 2. Finis eſt ipſorum ſalus, ne fiant rei corporis Chriſti; Item, vt Cœna maiori cum reuerentia ſumatur: Et vt hæc externa ceremonia conueniendi ſimul, ſeruiat interno cultui, fidei ſcilicet & charitati, vnioníq; animorum.

33 *1.Corinth.14.* Inſtituit, quomodo debeant in Eccleſia vti linguis: nimirum, vt non loquantur linguis ſine explicatione & interpretatione. 1. Quot rationibus vtitur è Scripturis etiam deductis, vt probet hoc eſſe iuxta voluntatem Dei, bonum & honeſtum. Nam poſt multas rationes, affert etiam Scripturam, dicendo: *In lege ſcriptum eſt, varijs linguis, & labijs varijs loquar populo huic* (infideli) *& ne ſic quidem audient me:* quaſi dicat Apoſtolus; Ne ſinatis huiuſmodi homines loqui in Eccleſia, qui peregrinis loquuntur linguis ſine explica-

 tione.

tione. Nam hoc ſignum eſſet, Deum vos non amare, quòd tales ſoleat mittere Prophetas populo infideli, quem non vult veritatem intelligere, & ſacras literas noſcere. 2. Finem huius inſtitutionis apertè dicit eſſe ædificationem Eccleſię, vt habeant conſolationem, exhortationem, &c. hoc eſt, vt ſeruiat cultui interno, fidei, charitati, conſolationi ſpiritus.

34 Idem dici poteſt de reliquis Apoſtolorũ conſtitutionibus, & traditionibus, quas omnes hîc enumerare nimis operoſum foret. 1. Fundamentum habent in verbo Dei, aut ei non repugnant. 2. Faciunt ad promouendam pietatem, ad excitandam pœnitentiam & fidem: denique ſeruiunt, vt fideles maiori ſtudio, & maiori cum fructu tàm doctrinam, quàm ſacramenta, & mandata Dei audiant percipiántq;, pleniùs credant, & in tota vita obſeruent.

35 Ex his quæ dicta ſunt conſequitur manifeſtè:

Quæ inter Adiaphora non ſint numeranda.

36 I. Traditiones, quæ ſua natura pugnant cum verbo Dei & mandato, vel quæ ſine peccato non poſſunt præſtari, non eſſe numerandas inter Adiaphora, quia ſunt res ſuâ naturâ impiæ & damnatæ.

37 II. Etiam, quando Traditiones loquuntur

quuntur de rebus ſuâ naturâ Adiaphoris, fiunt impię & doctrinę dæmoniorum, ſi addatur falſa opinio : nempe,

38 1. Meriti, quaſi earum obſeruatio mereatur remiſsionem peccatorum.

39 2. Cultus, quaſi Deus ijs vellet coli, contra expreſſum dictum (*Mat.15.*) *Fruſtra me colunt mandatis hominum.* Item (*Ezech.20*) *In præceptis meis ambulate, non patrum veſtrorum.*

40 3. Perfectionis, quaſi earum obſeruatio nos perfectos redderet.

41 4. Neceſsitatis abſolutæ, quaſi ſimpliciter neceſſarium eſſet eas obſeruare propter conſcientiam.

42 III. Ridiculi & ſcenici geſtus, otioſæ & inutiles ceremoniæ, quę nec diſciplinæ nec ordini ſeruiunt, ſed Ethnicam vanitatem præ ſe ferunt, & Religionem noſtram ludibrio exponunt, doctrinam obſcurant, ſuperſtitionum Papiſticarum nerui ſunt, & homines reddunt profanos; vt ridiculæ geſticulationes, circuitus cœmiterij, circumgeſtationes ſtatuarum & reliquiarum, depoſitio crucis in ſepulchrum, ludus aſcenſionis Chriſti & ſimiles ineptiæ, non cenſentur vocabulo rerum indifferentium, ſicut in Eccleſia de Adiaphoris loquimur.

43 IV.

43 IV. Ceremoniæ, quæ vel ſunt ſeminaria ſuperſtitionis, vel non vſurpari ſine ſuperſtitione, vel certè ſine ſpecie ſuperſtitionis poſſunt, quam ipſo vſu ſecum trahunt, non pertinent ad locum de Adiaphoris.

44 V. Neque illi ritus rectè vocantur Adiaphora, quorum obſeruatione hoſtes veræ doctrinæ confirmantur, & imbecilliores offenduntur & langueſiunt. Debent enim Ceremoniæ eſſe adminicula, incitamenta, & retinacula veræ pietatis, ædificationis, charitatis officiorum, diſciplinæ, ordinis, decori.

CAP. VII.

¶ *De legitimo vſu Adiaphororum.*

Eccleſia liberè vtitur Adiaphoris.

VEris Adiaphoris vera Eccleſia quouis tempore & loco liberè ad ſuum commodum & emolumentum vti, vel abſtinere, inque ijs quod viſum fuerit immutare poteſt.

2 Sic enim Apoſtolus (*Coloſſ. 2. 16.*) *Ne quis vos iudicet in cibo & potu, & parte diei feſti, aut nouilunij, aut Sabbatorum: quæ ſunt vmbra futu*

futurorum, corpus autem Chriſti.

3 Et (*1. Timoth. 4.*) de ciborum indifferente perfruitione ita loquitur: *Omnis creatura* Dei *bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Item, *Deus creauit cibos ad percipiendũ cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem.*

4 Cùm autem duplex humanæ vitæ ſit conditio; *vna* ψυχικὴ quæ pręſentis eſt ſeculi: *altera* Πνευματικὴ quæ futurum ſpectat: Ad animalem illam vitam pertinet cibus (vt & quodlibet aliud externum ἀδιάφορον) néque eius vſurpatio cum ſpirituali vita commiſcenda eſt.

Humanæ vitæ duplex conditio.

5 *Eſca* (inquit Apoſtolus) *ventri, & venter eſcis conditus eſt*, (1. Corinth. 6. 13.) Et, *Eſca non commendat nos* Deo. *Néque enim ſi manducauerimus, quicquam ampliùs habebimus, néque ſi non manducauerimus quicquam minùs. 1. Cor. 8. 7.*

6 Vnde verba Pauli de ἐξουσίας & libertate Chriſtiana, oppoſita Iudaïcis Traditionibus (*1. Cor. 10. 25.*) *Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini enim eſt terra & plenitudo eius.*

7 Saluator planè idem docet, cùm Phariſæos

riſæos reprimit, qui Diſcipulos taxabant, quòd illotis manibus cibum caperent, dicens: *Non quod ingreditur in os, polluit hominem, ſed quod egreditur ex ore, hoc polluit hominem. Quod enim ingreditur in os in ventrem abit, & in ſeceſſum eijcitur. Matth. 15. 11, 17.*

Locus Apoſtoli Rom. 14. 1 & ſeqq. de Adiaphoris, explicatus.

8 Cæterùm omnium clariſsimus eſt iſte de vſu τῶν ἀδιαφόρων D. Pauli locus (*ad Rom. cap. 14.*) vbi tribus Regulis quid & quomodo agendum ſit docet. 1. Infirmos in fide non eſſe reijciendos. 2. Conſcientias non eſſe onerandas & turbandas. 3. Ex rebus externis & medijs non eſſe iudicandum de doctrina & fide aliorum.

9 Quò autem faciliùs intelligatur Apoſtoli ſententia, nouem verſus priores huius 14. Cap. παραφραστικῶς explicabimus.

Paraphraſis *Verſ. 1.*

10 Cùm multi ſint adhuc infirmi & laborantes, inualidi & imbecilles in fide, & nondum doctrinam Euangelij & vſum libertatis Chriſtianæ didicerint, ſed putent ſe adhuc teneri lege Moſaïca ceremoniali de cibis prohibitis & alijs externis ritibus; & tamen audiunt Euangelium, & non ſunt hoſtes Euangelij; neceſſe eſt, imò charitatis officium non poſtremum eſt, ne illi offendantur, ſed vt aſſumantur, patienter tolerentur, inſtituantur, placidè erudiantur, &

liberen-

liberentur à ſuo ſcrupulo, dubitatione, & ſolicitudine anxia: id quod fieri debet non tantùm eâ tolerantiâ, qua vt ſuo more viuant ipſis permittitur; verũ etiam beneuola & humana collocutione, & accõmodatione ad eorum mores, atque conuerſatione placida, tantiſper dum abſque contentione & odioſa diſceptatione & ſcandalo deponant perſuaſionem ſuam inanem, & intelligant doctrinam de libertate Chriſtiana, qua à peccato, & ira ſeu damnatione, & multò magis à legibus ceremonialibus, typis, ſacrificijs, obſeruationibus dierum, delectu ciborum, & à Traditionibus humanis liberati ſumus per Christum. Antequam autem hæc infirmi fide diſcant, non turbandæ ſunt ipſorum conſcientiæ, non contentioſè cum illis diſputandum eſt, non accipienda aut rapienda ſunt ipſorum dicta & facta in partem peſsimam; ſed inualetudo eorum conſideranda & paulatim curanda eſt, cùm non peccent malitia, nec habeant προθυμίαν pertinaciter tuendi errores, ſed ſint dociles, etiamſi nondum ſint confirmato iudicio.

11 Hinc enim vt quando ij qui ſunt firmiores in religione Chriſtiana, & in doctrina libertatis rectè eruditi, cenſent, citra Verſ. 2.

Dei

Dei offenſionem liberum eſſe quocunque cibo veſcantur, etiamſi ſit in lege ille cibus prohibitus; multi qui ſunt infirmiores in doctrina, à carnium in Lege Moſaïca prohibitarum eſu, certis diebus, vel etiam omninò & ſemper abſtineant, & oleribus victitent, & ſuam religionem non eſſe ſinceram, nec conſcientiam tranquillam ſtatuant, niſi more hoc ſuo ſecundùm legem viuant: vnde & hi illos, & illi hos aſpernari & accuſare ſolent, & ſimultates & offendicula alunt & excitant: neutri tamen rectè faciunt.

Verſ. 3. 12 Sic autem agendum eſt. Firmiores qui quouis cibo vtuntur, Infirmiores, quaſi ſtupidos, ſuperſtitioſos, pertinaces, præfractos, & nondum vſum libertatis Chriſtianę ſcientes non contemnant, non pro nihilo habeant aut irrideant. Contrà, Infirmiores, qui non quouis vtuntur cibo, ſed adhuc ex Lege Moſis pendent, non damnent eos qui non abſtinent à carnibus, nèc vt impios, profanos, temerarios & contaminatos proclament. Nam vnus eſt Dominvs vtrorumque cui ſeruiunt, quia membra Chriſti ſunt, conuerſi ad fidem veram, & commune habent ius redemptionis, & ſciunt ſe à Deo paterno amore foueri.

13 Huic

13 Huic Domino & Deo ſuo reddet vnuſquiſque rationem pro ſe ipſo, non pro te, nec tu pro illo. Nihil igitur ad te quid proximus tuus hac in parte agat, qui non tuus ſeruus, ſed Dei ſeruus eſt. Dei ius eſt, non tuum ius, iudicare & pronunciare de ſuo Seruo, qui ſi non rectè facit, caſtigabitur à Domino ſuo, ſi autem rectè facit, approbabitur & laudabitur ab eodem: vtrúmque autem fiet ſine tuo damno aut lucro, ita vt tota hæc res planè nihil ad te pertineat. Vide igitur vt agas quod tuum eſt, & abſtineas à contemptu & damnatione proximi tui ob res medias. Etſi enim is tibi peccare, & ſemper in peius ruere videri poſſit; tamen contrarium verum eſt; confirmabitur enim & ſtabilietur, manebítque & retinebitur in gratia Dei. Nam Devs de cuius propitia voluntate certi ſumus, & qui ſuos illuminare & ornare indies maioribus donis ſolet, etiam infirmum illum ſtabilire & confirmare poteſt & vult, vt fides ipſius ſemper ſit & maneat integra & ſalua, nullúmque incommodum ex actionibus iſtis indifferentibus accipiat. *Verſ.4.*

14 Subijcio etiam aliud. Alius adhuc iuxta morem Mòſaïcæ legis, obſeruat diſcrimen dierum, etiamſi obſeruationem *Verſ.5.*

iſtam

iſtam ſciat non eſſe neceſſariam ad ſalutem; & Sabbata, & feſtos dies tabernaculorum, tubarum, neomenias, & ſimiles ferias celebrat. Alius verò nihil horum obſeruat, ſed dies pro indifferentibus habet, & iam laborat, iam quieſcit, prout commodum videtur, nec tamen contemptor eſt religionis, nec offendit bonos, nec intempeſtiuis actionibus turbat ordinem bonum in Eccleſia inſtitutum. Quicquid autem fiat videndum eſt vnicuíque, vt ſit certus de rectitudine ſui facti, & conſulat propriam conſcientiam ſecundùm normam verbi Dei, & nihil agat dubia conſcientia, ſed ex vera fide, quæ eſt πληροφορία, illam examinet, nec temeraria libidine aut ſtudio rixandi lædat.

Verſ. 6. 15 Qui enim adhuc fide infirmi ſunt, & dies feſtos priùs celebratos etiam nunc obſeruant, demptâ neceſsitatis, meriti, & cultus diuini opinione, ij non delinquunt in Devm, ſed ad Dei gloriam diſcrimina obſeruant, donec quid meliùs edocti fuerint. Qui autem Chriſtianæ libertatis doctrinam perceperunt, & abſque ſcandalo dato non ampliùs obſeruant dies iſtos, ij etiam non delinquunt in Devm, ſed id faciunt quod diſplicere Deo non poteſt. Similiter qui veſcitur quouis cibo, non malè agit,

agit, ſed placet Deo, cui etiam pro cibo appoſito cuiuſcúnque generis is ſit, pio animo gratias reuerenter & ſuppliciter agit. Qui verò à certis cibis abſtinet, & oluſculo contentus eſt, etiam non malè agit, ſed placet Deo, cui quóque gratias agit, & ſe ipſi commendat, & conſcientiæ ſuæ teneræ rationem habet.

16 Summa. Siue Chriſtiana libertate in rebus indifferentibus vtamur, ſiue eius vſu certas ob cauſas ad tempus deſtituamur, Deo probamur & placemus: quia omnes noſtræ actiones ex fide ortæ, ſiue viuamus, ſiue moriamur, ad gloriam diuini nominis cedunt. Nemo enim propter ſe, aut propter ſua commoda viuit. Nemo ſibi viuit, nemo ſibi moritur. Nemo ſe vnum reſpicere, nec ex ſuo vnius arbitrio ac voluntate ſe viuere poſſe exiſtimare debet. Fideles enim non ſuam, ſed Domini voluntatem ſe pro regula vitæ habere cum gratiarum actione ſponte fatentur, & ſe Domino reddituros eſſe vitæ rationem agnoſcunt, cuius iuri & poteſtati ſubſunt, non tantùm in vita, ſed etiam in morte. *Verſ. 7.*

17 Siue igitur viuamus, Domino præſtamus obedientiam, quam approbat & gratam habet: Siue moriamur, eandem *Verſ. 8.*

 obedi-

obedientiam ei præſtamus & in morte obeunda patientes ſumus, & ſemper cùm in vita, tum in morte dilecti filij & fratres ſumus vnici ſeruatoris noſtri Iesv Christi: & ϗ τοῦ κυρίου, ϗ τῷ κυρίῳ ſumus, & ex æquo curæ ſumus Domino noſtro.

Verſ. 9. 18 Qui pro peccatis noſtris mortuus eſt, & victâ morte reſurrexit, & viuit in æternum, Dominvs viuorum & mortuorum, qui nos in tutelam ſuam recipit, fouet & ſaluat ſiue viuamus, ſiue piè obdormiamus, vúltque nos ſaluos & ſecum viuere in æternum.

19 Paraphraſi nunc ſubjungemus & aliquot Canones, quibus clarior appareat legitimus Adiaphororum vſus.

Canones de legitimo vſu Adiaphororum. I. 20 I. In his quæ ſunt iure diuino præcepta, nullo reſpectu ſcandali, & docendum & faciendum eſt iuxta ius diuinum.

N B. 21 Præferenda enim eſt fidei cauſa charitati: ſicut vel vna ſententia in Actis Apoſtolorum ſatis docet; *Oportet DEO magis obedire, quàm Hominibus.* (*Act. 4. 19*) Et Chriſtus de ſe dicit, *Veni mittere gladium & non pacem. Matth. 10. 34*

22 Hinc vide, ſi quid Eccleſia, ſeu quicunque Magiſtratus prçceperit contra ius diuinum, ne obtemperes, ſed conſtanter repugnes.

pugnes. Legibus enim ſuperiorum obtemperandum eſt, ſaluâ auctoritate legum diuinarum.

23 Nulla Creatura habet poteſtatem, vel pręcipiendi vel faciendi aliquid contrarium legi, ſeu verbo Dei; ſicut docet primum Præceptum Decalogi, *Non habebis Deos alienos, &c.* Item, *In præceptis meis ambulate, &c.*

24 II. Neceſſaria facienda ſunt: In non neceſſarijs, quę tamen licita ſunt, ea moderatio ſeruanda eſt, ne exempla noſtra lædant aliorum cõſcientias, aut labefactent cõmunem concordiam; ſicut Regula Iuriſconſultorum rectè docet: *Quod tibi non nocet, & alteri prodeſt, id præſtandũ eſt.* Iuſtum enim eſt aſtringere libertatem propter aliorũ ſalutem: vt in itinere faciendo robuſtus minùs properat propter imbecillos comites. 2.

25 III. Omnia Adiaphora per ſe quidem & natura ſua licita ſunt & bona; vſu indifferentia ſunt & libera; per Accidens autem mala ſunt & illicita (quando ſcilicet vel à non renatis, vel à renatis cum ſcandalo facientis, vel aliorum fiunt:) & per Accidens factu ſunt neceſſaria (quando præcepta ſunt ab Eccleſia, & ſine ſcandalo non poſſunt omitti.) *Act. 15. 28.* 3.

26 IV. In his, quę ſunt iuris ſiue Ec- 4.

cleſiaſtici, ſiue Politici, & media, non obligat ius in caſu neceſsitatis.

27 Quia Chriſtus diſpenſauit etiam de lege Diuina, cùm Diſcipuli vellerent ſpicas, &c. *Matth. 12. 1. & ſeqq.*

28 Ac diſpenſari etiam poſſe de legibus, Eccleſiaſtica & Politica, propter pericula ſalutis, ſatis docet Paulus (*2. Corin. 13. 10.*) *Data eſt nobis poteſtas in ædificationem, non in deſtructionem.*

29 Item, ſi agatur periculum corporis diſpenſat Paulus (*Coloß. 2. 22, 23*) vbi damnat ſtultas leges imponentes neceſsitatem corporis.

5. 30 V. Coram Aduerſarijs exigentibus ſuarum traditionum obſeruationem, quaſi neceſſariæ ſint ad ſalutem, nullo ſcandali reſpectu, debet contrà agi. Præfractis enim & malitioſè noſtrę libertati inſidiantibus, nihil eſt largiendum, vt Chriſtiana Libertas incolumis ſeruetur.

31 Hinc illud (*Matth. 15. 12, 13, 14.*) *Noſti Phariſæos audito iſto ſermone offenſos fuiſſe?* Reſpondet Chriſtus, *Omnis planta quam non plantauit Pater ille meus cæleſtis, eradicabitur. Omittite illos, duces ſunt cæci cæcorum, &c.*

32 Huc item pertinet, quòd Paulus noluit circumcidere Titum, poſcentibus Iudæis

dæis tanquam rem neceſſariam *Galat.2.3.*

33 VI. Si quis ſit apud infirmos, quos erudire poteſt, docendi gratiâ poteſt contra traditiones agere, vt illorum conſcientias erigat & confirmet. 6.

34 Sic Petrum reprehendit Paulus, quòd infirmorum ex Gentibus conſcientiam non confirmârit ſuo exemplo. *Gal.2.11*

35 VII. Apud infirmos qui erudiri facilè non poſſunt, faciendum eſt charitatis officium, & ſimul inſeruiendum traditionibus. 7.

36 Sicut Paulus quando venit Hieroſolymam, cùm in tanta multitudine pauci eſſent qui libertatem Euangelicam planè intelligerent, & inſeruijt ijs, & vnà raſus eſt, *Act.21.*

37 Huc pertinet iſtud ſcandali genus cuius eſt mentio in Epiſt. ad Rom. (*Cap 14. & 1. Cor. 9.*) Erant enim quidam qui legis ceremonias obſeruabant; rurſus erant qui non obſeruabant. Qui putabant obſeruandas, cùm viderent non obſeruantes, ceperunt in conſcientijs hęſitare, liceretne quod ipſi facerent, nec ne? Item incipiebant malè ſentire de Chriſtianiſmo, quaſi eſſet quędam libertas carnis contra Legem Dei. Item nonnunquam trahebantur imitatione

 fortio-

fortiorum imbecilles, negligebántq; ceremonias, & tamen ipſorũ conſcientia poſtea cõturbabatur. Hic Paulus inſeruire illis imperitioribus iubet, donec aſſueſiant & diſcant, cùm dicit, *Infirmũ fide aſſumite. Ro 14.1.*

8. 38 IIX. Excuſat ſcandalum neceſsitas: (*Matth. 12. 1. & 1 Sam. 21. 7.*) Item, præceptum ſiue interdictum Eccleſiæ ex iuſta cauſa profectum. *Act. 15. 28.*

9. 39 IX. Cauendum eſt à copia & multitudine ceremoniarum alioqui tolerabilium: vt quâ non adiuuari pura religio & vera animi pietas, ſed obſcurari potiùs, imò obrui & exſtingui ſolet.

CAP. IIX.

¶ *De poteſtate Legum, imprimis verò Eccleſiaſticarum; & an obligent conſcientiam. Vbi etiam de Magiſtratu Ciuili & Eccleſiaſtico; & de Libertate Chriſtiana.*

De Humanis Legibus.

QVONIAM Lex diuina, cuius Epitome & ſumma ſunt præcepta Decalogi, generalia quędam continet; neque omnes homines eo valent ingenio, vt ex generalibus principijs particulares conclu-

cluſiones & leges colligere poſsint: opus fuit vt à Deo homines excitarentur ſapientes & prudentes, qui ex illo diuino iure leges enucleatiùs explicarent ad Reipub. vtilitatem & conſeruationem.

2 Hinc primùm ortæ ſunt *Leges Humanæ*, quæ non ſolùm per homines, ſed etiam ab hominibus, humanóque ingenio concipiuntur & promulgantur.

3 Hæ ſi iuſtæ fuerint, dignæ erunt *Legum* nomine: ſin autem iniuſtę & iniquę, quis eas Legum nomine dignabitur?

4 Quare ne fallamur iudicio; videamus quę ad iuſtę legis rationem pertineant. Quæ ad iuſtæ Legis rationem requirantur.

5 Duo requiruntur in quauis iuſta lege: *Ratio recta*, & *Auctoritas iuſta*.

6 *Ratio recta* pendet ex duabus rebus: vid. ex *Origine*, & *Fine*. 1. *Ratio recta.*

7 *Origo* debet eſſe ex fonte proprio Legum, qui eſt æterna Lex Dei, præcipiens æternam Dei & Hominis dilectionem. Origo Legum Humanarum vnde.

8 *Finis* Legis duplex eſt, *Subordinatus*, & *Principalis*: quorum prior, qui eſt incolumitas & vtilitas populi, ſeruire debet poſteriori; id eſt, Principali, qui eſt Gloria Dei: nam ſi huic non ſeruit lex, nequaquam iuſta eſſe poteſt. Finis Legum.

9 *Auctoritas*, quę ad iuſtæ legis ſanctio- 2. *Auctoritas.*

 nem

nem requiritur, legitimi eſt Magiſtratus in ſubditos poteſtas.

10 Hæc auctoritas etſi ſemper iuſta videtur ſubditorum reſpectu, fit tamen iniuſta, ſi auctoritati diuinæ ſe non ſubijciat.

Auctoritas humana diuinæ ſubijci debet.

11 Nam vt humana auctoritas eſt finita: ita par eſt, vt ſe auctoritati infinitæ, quæ ſolius Dei eſt, ſubijciat; à qua ſi diſcedit humana auctoritas, abuſu fit iniuſta.

Hum. Leges duplices.

12 Humanæ leges duplices ſunt, *Eccleſiaſticæ*, & *Ciuiles*.

1. *Eccleſiaſticæ.*

13 *Eccleſiaſticæ leges* ſunt determinationes circumſtantiarum neceſſariæ vel vtiles ad ſeruanda præcepta moralia primæ tabulæ.

14 Pertinent enim vel ad ordinem & decorum ſeruandum in congreſsibus Eccleſiæ, & in vſu Miniſterij Eccleſiaſtici, vel ad exercitia pietatis externa, ſiue publica ſiue priuata, vel ad vitandum ſcandalum infirmorum, & ad ducendos eos ad Eccleſiam & agnitionem veritatis; vt & ſuprà diximus.

2. *Ciuiles.*

15 *Ciuiles Leges*, ſunt determinationes circumſtantiarum neceſſariæ, vel vtiles ad ſeruanda præcepta moralia ſecundę tabulę.

16 Quia ſpectant ad conſeruandum ordinem & decorum in vita communi, & ſocietatem

cietatem ac pacem ciuilem in genere humano.

Vtraque ſunctio reliquas ſibi ſubiectas habet.

17 Etſi vtraque functio Eccleſiaſtica & Ciuilis ſuo quæque reſpectu ſit ἀρχιτεκτονικὴ, ac reliquas functiones ſibi ſubiectas habeat vniuerſas; ſuis tamen metis in religionis quoque adminiſtratione diſtinguuntur.

Eccleſ. Miniſter.

18 Etenim Eccleſię Miniſter conſcientias inſtruit verbo; cuius voci non minùs parêre tenetur Magiſtratus, quàm infirmi ordinis ciuis.

Magiſtratus.

19 Magiſtratus verò ciuilis, vt verbum ſincerè tradatur, curat, ac diſciplinæ violatores vi externa coërcet, ſiue verbi Miniſtri ſint, ſiue auditores.

Diſtincta eſſe ciuiles & Eccleſiaſticas adminiſtrationes.

20 Et certum eſt duas has adminiſtrationes eſſe diſtinctas & diuerſas, quas mirè confudit & miſcuit Satan per Papatum: nobis autem acriter vigilandum eſt, nec committendum vt denuò confundantur.

NB.

21 Hinc ſequitur, quòd eadem perſona non poſsit eſſe Epiſcopus & Princeps; nec ſimul Paſtor & Paterfamilias: oportet enim perſonas impermixtas eſſe, ſicut & adminiſtrationes.

An vnus idémque Homo duplicem poſſit gerere perſonam.

22 Idem tamen Homo vtramque perſonam gerere poteſt: vt idem N. poteſt eſſe Parochus & Oeconomus: Sic N. idem homo

homo poteſt eſſe Dux Cornubiæ & Archiepiſcopus Eboracenſis : cùm tamen Dux Cornubię non poſsit eſſe Archiepiſcopus Eboracenſis.

23 Epiſcopus, vt Epiſcopus, nullam habet poteſtatem ſupra Eccleſiam ſuam vllius legis, traditionis aut ceremoniæ imponendæ, niſi conſenſu Eccleſię, vel expreſſo vel tacito.

24 Quia Eccleſia eſt libera & Domina, & Epiſcopi non debent dominari fidei Eccleſiarum, nec inuitas onerare aut opprimere. Sunt enim Miniſtri & Oeconomi Eccleſię tantùm, non Domini.

25 Si autem Eccleſia conſenſerit, ceu vnum corpus cum Epiſcopo, poſſunt ſuper ſe imponere quicquid volent, ſaluâ pietate. Rurſum etiam, pro arbitrio, omittere.

26 Epiſcopus, vt Princeps, multò minùs poteſt ſupra Eccleſiam ponere quidquam: quia hoc eſſet prorſus confundere has duas poteſtates, & tum verè eſſet [illegible] loquor de Eccleſia vt Eccleſia, diſtincta iam à ciuitate politica.

27 Epiſcopus, vt Princeps, poteſt ſuis Subditis, vt Subditis, imponere quicquid viſum fuerit, modò pium ac licitum ſit, & ſubditi tenentur obedire. Obediunt enim

tunc

tunc non vt Eccleſia, ſed vt Ciues. Eſt enim perſona duplex in eodem homine.

28 Sic N. præcipiendo ſuis Cornubienſibus, vt Dux Cornubię, ieiunium aut aliud licitum, cogit eos qui Ducem agnoſcunt, ad obedientiam, ſed non eos qui Archiepiſcopum agnoſcunt, ſcilicet qui ſunt ſub aliorum Principum dominio, etiamſi ſint de Eccleſia Eboracenſi.

29 Sicut N. cogit ſuum ſeruum ad Oeconomicam ſuam legem; ſed non Eccleſiam ſuam N.

30 Verùm, in rebus Eccleſiaſticis triplex eſt Magiſtratus Ciuilis officium. *Primum*, vt puræ doctrinę & cultus exercitium in toto principatu ipſius floreat, adeóq; Eccleſię legitimè conſtituantur per idoneas perſonas; quemadmodum Dauidem feciſſe legimus. *1. Paral. 16. 37. & ſeqq.*

In rebus Eccleſiaſticis quænam ſint Magiſtratus Ciuilis officia.

31 *Secundum*, vt ordo à Deo in hunc finem conſtitutus, publica Magiſtratus auctoritate ſanciatur & conſtituatur. Quemadmodum pius Ioſaphatus excelſa & lucos de Iuda abſtulit, & principes ſuos cum Leuitis atque Sacerdotibus cum libro legis, qui cum ipſis fuit, miſit, vt per vniuerſas ciuitates Iudę circumirent & docerent populum. *2. Paral. 17. 6.*

32 Et

32 Et Ezechias in vniuerſum Iſraëlem legatos & literas miſit, vt venirent in domum Iehouæ Hieroſolymam ad faciendum Paſcha Iehouæ Deo Iſraëlis. *2.Paral. 30.1.& ſeqq.*

33 Sic Nehemias librum legis in auribus pŏpuli curat legi, & ſecundùm illius legem omnes alienigenas gentes, quas Iſraëlitæ in vxores duxerant, ſeparat ab Iſraële, *Nehem.13.1.& ſeqq.*

34 *Tertium,* vt quę Dei ſunt, & hominum conſcientias concernunt, per Eccleſiarum quidem Miniſtros tantùm adminiſtrentur: eorum tamen adminiſtratio Magiſtratus præſentiâ, conſilio, tutelâ & auctoritate muniatur, adeóque non confuſio, ſed coniunctio vtriuſque huius ordinis ſit.

35 Quemadmodum Dauid ad Templi ſtructuram, & cultus diuini curam ſeriam Salomonem filium exhortans, dicit: *Turmæ Sacerdotum & Leuitarum aderunt tibi in omni miniſterio domus Dei, 1.Paral.28.21.*

36 Summa. *Magiſtratus Ciuilis* cuſtos eſt Legis, quòd ad externam diſciplinam attinet, vt conſeruetur diſcrimen inter Miniſterium Euangelij & Magiſtratum.

37 *Miniſterium Euangelij* proponit Euangelium, per quod Spiritus Sanctus eſt

efficax

efficax in credentibus : ſicut (*2.Cor.3.6.*) dicitur, *Fecit nos Miniſtros Noui Teſtamenti, non literæ ſed ſpiritus.*

38 Interea tamen Magiſtratus ſuum habet officium externum, ne ſcandala proponantur; prohibet externam idololatriam, ſicut adulteria aut cædes. Id clarè docet Paulus inquiens, *Lex eſt iniuſtis poſita, profanis, contumelioſis in Deum.* Et hunc vſum Legis vocat Paulus *legitimũ*, hoc eſt, cùm externâ diſciplinâ Magiſtratus coërcet flagitia, quę cum prima & ſecunda Tabula pugnant.

39 Cęterùm, difficilima hîc oritur Quęſtio, de Humanarum Legum obſeruatione: *Qua nimirum conſcientia obſeruandæ ſunt Humanæ Leges:* & *An conſcientiam ſimpliciter obligent?* Quæſt. I. *An Humanæ Leges conſcientiam obligent.*

40 Quidam enim magnificè *libertatem Chriſtianam iactant, quâ ſe etiam in rebus corporalibus liberos eſſe* à ſeruitute politica arbitrantur. *Si obedientia neceſſaria ſit*, inquiunt, *libertas nulla eſt; pugnant enim inter ſe libertas & obedientia.*

41 Alij diſsimilem omnino putant obligationem *Eccleſiaſticarum* & *Ciuilium* Legum : has enim ſimpliciter conſcientias obligare volunt ; illas autem non niſi in caſu ſcandali.

De Neceſſitate Legum in humano genere.

42 Quibus reſpondemus; I. Quod libertatem Chriſtianam attinet; Aliqui homines naturâ feri, omnes leges tanquam carcerem oderunt: & ſe non liberos putant, niſi omnia ſocietatis ciuilis & obedientiæ vincula rumpant & abijciant.

43 At verò ſi animo cogitent de tali vitæ ſtatu, vbi nullæ Leges ſint, tum vel inuiti cogerentur agnoſcere vitam hominum non poſſe carere præſidio Legum.

44 In hoc triſti & miſerabili ſtatu erit confuſio & licentia omnium ſcelerum & flagitiorum; & plena erunt omnia tumultibus, latrocinijs, cædibus, rapinis, furtis, fraudibus.

45 Nemo frenum inijciet prauis cupiditatibus ſuis, ſed quod cuique libet, id audebit facere: nemo tutus erit & ſecurus ab aliorum violentia.

46 Denique, in tali ſtatu vita non erit hominum, ſed belluarum, ſed Cyclopum; qui interrogati apud Euripidem, quod vitæ genus colant, reſpondent: Sumus Νομάδες, id eſt, vagamur incertis ſedibus, ἀκούει οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδέν, id eſt, nemo audit alterum.

47 Hinc rectiſsimè poteſt agnoſci, quantum tribuendum ſit legibus & ordini, quem tollere ex humano genere verè eſt tollere

tollere Solem ex mundo.

48 Nec propterea doctrinam de *libertate Chriſtiana* abolemus, quæ de rebus multò maioribus concionatur, quàm de politica & externa libertate. Legum obedientia non tollit libertatem Chriſtianam.

49 Verùm impij & Epicurei homines doctrinam de Libertate nimium laxant, & transferunt ad licentiam carnis non conceſſam à Deo: quia ſub prętextu libertatis, immunitatem quærunt ab oneribus ciuilibus, à Legibus & Magiſtratu: quos non verbis modò, ſed etiam exemplo proprio Dominus docet ſe non abolere legitimum Magiſtratum, aut pias & vtiles conſtitutiones; ſed perpetuò ratum eſſe velle, quod alibi inquit; *Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei.*

50 Sed vt hunc nodum fuſiùs & enucleatiùs explicemus, breuiter repetenda eſt de *Libertate* doctrina. De Libertate Chriſtiana locus.

51 *Libertas filiorum Dei*, eſt beneficium, quo ij qui per fidem facti ſunt filij Dei, per Chriſtum à ſpirituali ſeruitute ſunt ſoluti. *Galat.5.1.*

52 Eáque *Libertas Chriſtiana* dicitur, tum quia à Chriſto parta eſt, tum quia eſt omnium Chriſtianorum, hoc eſt, Fidelium omnium temporum.

53 Eſtque

Libertas duplex.

53 Eſtque vel *Communis* omnium fidelium in veteri & nouo Teſtamento, vel *Propria* fidelium in nouo tantùm.

I. *Communis*, quæ triplex eſt.

54 I. *Libertas Communis* omnium fidelium in veteri & nouo Teſtamento triplex eſt. *1. A rigore ſeu ſeueritate Legis Moralis 2. A ſeruitute peccati. 3. A iugo traditionum humanarum.*

1. A rigore Legis.

55 *Libertas à rigore ſeu ſeueritate Legis Moralis* duplex eſt: nempe tum *à rigidiſsima illa exactione perfectiſsimæ obedientiæ*; tum *à maledictione ſeu pœna ob violationem legis.*

56 Vnde conſequitur nobis etiam partam eſſe libertatem à poteſtate & tyrannide Diaboli, à condemnatione & morte æterna, *Ioh 8.36.*

57 Hac nos conſolamur in certamine conſcientiæ coram iudicio Dei.

2. A Seruitute peccati.

58 *Libertas à ſeruitute peccati*, eſt per quam vindicati ſumus à dominio peccati; vt ne peccatum nobis ampliùs dominetur, ſed vt iuſtificati & donati Spiritu Sancto citra coactionem prompta voluntate, & ſponte potiùs quàm obligatione, iuſtitiæ & Deo viuamus, (*Ioh. 8.34. 2.Cor. 3.17.*) *Vbi Spiritus Domini, ibi Libertas.* Rom.6.6. & ſeqq. vſque ad finem. 2.Pet.2.19. Galat.5.13.

3. A iugo traditionum.

59 *Libertas à iugo humanarum traditionum,*

num, eſt qua omnes fideles ſoluti ſunt ab obſeruatione humanarum adinuentionum, ceremoniarum & ſuperſtitionum, quæ ſub ſpecie pietatis & religionis Eccleſiæ obtruduntur, vel imperioſè imponuntur.

60 Huiuſmodi erant traditiones Pharaſaicæ, quas fideles non morabantur. Matth. 24.4. Matth. 15.2. & 9.14,15. De hac libertate loquitur Paulus, 1. Cor. 7.23.

61 II. *Libertas Propria* fidelium in nouo Teſtamento, quæ ſpecialiter *Libertas Chriſtiana* dicitur, duplex eſt: 1. *Libertas à Legibus Moſis ceremonialibus & forenſibus.* 2. *Libertas in Adiaphoris.* II. *Propria*, quæ duplex eſt.

62 *Libertas à Legibus Ceremonialibus & Forenſibus*, eſt per quam Chriſtiani ab illarum legum obſeruatione ſunt ſoluti, quatenus vid. illæ tantùm ad politiam Moſaicam & pædagogiam veteris populi pertinuerunt, *Act.15. 1.Cor.9.1,19. 2.Corinth.3.17. Hebr 9.10.* 1. A Legibus Moſis Cerem.

63 Nam quę iuris Naturę ſunt, & omnes gentes obligârunt, non ſunt abrogatæ.

64 *Libertas in Adiaphoris*, eſt per quam Chriſtiani ſunt liberi in vſu, vel abſtinentia rerum mediarum (*1.Cor 9 1.*) quæ ſeruari poſſunt, vel omitti, vigore libertatis Chriſtianæ. 2. Libertas in Adiaphoris.

65 Seruari quidem poſſunt concordiæ & vitandi offendiculi cauſâ. (*Rom 14.15,16. 1.Cor.8.19. & 11.29 2 Cor.11 12.*) Sed ita vt ſemper remoueatur falſa opinio meriti, cultus, perfectionis ſiue neceſsitatis.

66 Omitti etiam poſſunt ſine peccato extra caſum ſcandali, & citra ſpeciem abnegatæ veritatis, & citra omiſsionem neceſſariæ confeſsionis.

67 Qui verò his neglectis, in Eccleſijs reformatis tales ceremonias violant, peccant, etſi vel millies *libertatem Chriſtianam* vociferentur, & ſuæ ſiue audaciæ ſiue pertinaciæ prætexant.

Seruitus corporis non pugnat cum libertate Chriſtiana.

68 Hinc liquidò conſtat, quòd nec Seruitus corporalis, quæ eſt Inferiorum erga Superiores; nec ea Seruitus quę eſt Spiritus erga Deum, aut corporis erga Spiritum (*de qua 1.Cor. 9. 27.*) pugnat cum libertate Chriſtiana: cùm nihil impediat liberum eſſe animo, & ſeruum corpore.

69 Ideò Paulus (*1 Cor. 7. 21,22.*) *Seruus vocatus es? ne ſit tibi curæ*; quaſi hæc vocatio ſit Chriſto indigna: *ſed ſi potes etiam Liber fieri, potiùs eo vtere. Etenim qui in Domino vocatus eſt Seruus, libertus Domini eſt: ſimiliter & qui Liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti.*

Regnum Chriſti quid ſit.

70 Regnum Chriſti longè aliud eſt, quàm

quàm politica libertas; nempè reſtitutio vitæ æternæ, & iuſtitiæ æternę: & colligitur in hac vita ex diuerſis gentibus, vbi ſunt diuerſæ politiæ. Nec Euangelium conſtituit politiam externam aut corporalem; ſed concedit vti omnium Gentium politijs, ſicut aëre, cibo, veſtitu, artibus apud omnes Gentes vtimur. NB.

71 Imò vult nos, quod ad corpora attinet, ſubiectos eſſe legibus corporum, cibi, potus, politici ordinis: quia res neceſſariæ ſunt corpori cibus, potus, coniugium, educatio ſobolis, politica ſocietas, defenſio corporum; & ſcriptum eſt, *Habendum eſſe honorem corpori.*

72 At verò conſcientiæ fidelium exemptæ ſunt hominum poteſtate, quia non cum hominibus, ſed cum vno Deo negotium eſt conſcientijs noſtris: nec vllis legibus aſtringuntur conſcientiæ, niſi diuinis. Vni Deo negotium eſt cum conſcientijs.

73 Etenim vt Propheta ait, *Iehoua legiſlator noſter (Eſa. 33. 22.)* & vt Apoſtolus, *Vnus legiſlator qui poteſt ſeruare & perdere. Iacob. 4. 12.*

74 Qui ergo conſcientijs leges imponunt, ſeruandi & perdendi poteſtatem ſibi vendicant, & Deum ſuo iure ſpoliant.

75 Et quid inter diuinas atque humanas

leges intereſſet, ſi hæ non minùs quàm illæ conſcientias obligarent? Ita enim quæuis hominum edicta diuinis præceptis æquarentur.

76 Verùm ne quis in hunc lapidem impingat. Primùm diligenter obſeruandum eſt diſcrimen inter regimen hominis *Spirituale* aut internum, & *Politicum* aut externum; quorum illo conſcientia ad pietatem & cultum Dei informatur; hoc autem ad humanitatis & ciuilitatis officia inſtituitur.

Duplex hominis regimen conſiderandum.

77 Iam verò ſecundùm regimen externum & politicum ſubijciuntur quidem omnes Chriſtiani humanis legibus (probis ſci. & iuſtis) ſiue à Magiſtratu Ciuili, ſiue ab Eccleſia latis: ſecundùm Spirituale & internum regimen ſolutæ ſunt coram Deo fidelium conſcientiæ.

Quomodo homo ſubiectus ſit Legibus humanis.

78 Huius diſcriminis confuſio ſtudioſè vitanda, ne vid. ex libertate ſpirituali libertas politica inferatur.

79 Deinde, ea lex conſcientiam obſtringere dicitur, quæ ſimpliciter hominem obligat ſine circumſtantiarum aut hominum reſpectu aut intuitu, ſeu non habitâ eorum ratione.

80 Sic diuinis legibus ſimpliciter obſequendum eſt, ſine vlla hominum, aut temporum,

porum, aut locorum, aut circumſtantiarum ratione & diſcrimine.

81 Humanis verò legibus parendum eſt, quia ſunt ad pacem & tranquillitatem neceſſariæ; non ſimpliciter, ſed eo modo quo circumſtantiæ poſtulant. Humanis Legibus quatenus parendum.

82 Veluti qui Anglus eſt, & in Anglia degit, Anglicanis legibus obedire debet: idem ſi migrârit in Galliam, non illa Anglicarum legum neceſsitate obſtringitur.

83 Quod palàm indicat conſcientias noſtras non fuiſſe illis legibus alligatas: tum enim forent & in Gallia & vbiuis gentium obſeruandæ.

84 Præterca, quamuis Paulus Magiſtratui obediendum eſſe, *propter conſcientiam* vult (hoc eſt, ne rebellione erga Magiſtratum Deum offendamus: ſed vt bonam conſcientiam coram ipſo retineamus, qui nobis Magiſtratum præfecit) non tamen conſcientias legibus politicis aſtringit, ſed vult Magiſtratui obediendum eſſe, quatenus honeſta, licita, & verbo Dei congruentia præcipit: quia hoc mandatum a Deo accepimus, cui obſtrepere nefas eſt, *Roman.13.5.* De loco Pauli, *propter conſcientiam, &c.*

85 Non ſingulis Magiſtratuum edictis conſcientias noſtras illaqueat Apoſtolus,

ſed de ipſa auctoritate loquitur, quæ ſacroſancta eſt, & contemni ſaluâ conſcientiâ non poteſt.

86 Eſt enim Dei præceptum vt Magiſtratui noſmetipſos ſubijciamus, & hoc Dei præceptum conſcientiam attingit.

N B. 87 Magiſtratui ergo quoad genus parendum eſt, *propter conſcientiam*; quia generali præcepto iubemur Magiſtratui parêre: particulares tamen Magiſtratuum leges nullum habent in conſcientias dominatum.

88 Denique quando leges ſingulas obſeruamus, non hæremus in ipſis præceptis, quaſi his aut illis præſtandis conſcientię ſatisfieret: ſed finem, id eſt, Dei voluntatem ſpectamus, quæ obedientiam honeſtis & iuſtis legibus prẹſcribit.

89 Quin & legibus ad pacem & tranquillitatem neceſſarijs, aut εὐταξίαν ſpectantibus, promptè quidem & libera conſcientia paremus; imò etiam quamuis nos eam εὐταξίαν non videamus.

90 Summa. Etſi conſcientias propriè ſolus Deus ligat, tamen quatenus vel Magiſtratus, qui Dei Miniſter eſt, iudicat intereſſe Reipublicæ, vt quippiam, alioqui per ſe licitum, non fiat: vel Eccleſia ordinis & Decori, adeóque ædificationis rationem

nem habens, leges aliquas de rebus medijs ritè condit: eiuſmodi leges pijs omninò ſunt obſeruandę, & opus externum prorſus ligant, & conſcientias quidem eatenus, vt nemo ſciens & prudens rebellandi animo poſsit abſque peccato vel facere quę ita prohibentur, vel omittere quæ ſic præcipiuntur.

91 Supereſt altera Quæſtio. *An Eccleſiaſticæ & Ciuiles Leges diſsimiliter obligent?*

Quæſt. II. An Eccl. & Ciu. leges diſſimiliter obligent.

92 Resp. Similis prorſùs eſt harum Legum obligatio: quod multipliciter probatur.

Eandem prorſùs auctoritatem eſſe & obligationem Ciuilium, & Eccleſiaſticarum Legum: quod probatur.

93 *Primùm*, à Cauſis Efficientibus: eſt enim vtriuſque Poteſtatis auctor Devs, *Luc.22.25,26. 2 Cor.10.*

1. A cauſis Efficientibus.

94 *Deinde*, ex iure Poteſtatis. Ciuilis Magiſtratus auctoritate diuina ius habet è ſecunda Tabula Legis Moralis, determinandi ea quę ad defenſionem vitę corporalis & ſocietatem ciuilem pertinent.

2 Ex iure Poteſtatis.

95 Ita Eccleſiaſtica poteſtas diuina ordinatione ius habet ex prima tabula Decalogi determinandi particulares circumſtantias circa Religionem & cultum Diuinum.

96 *Præterea*, Violatione Legum Ciuilium, violatur ſecunda tabula Decalogi; quia vel Reipublicæ aliquid detrahitur, &

3. Ex violatione vtriuſque Legis.

 ſocietas

ſocietas politica læditur, vel aliqua eam lædendi occaſio præbetur.

97 Sic violatione Legum Eccleſiaſticarum cum ſcandalo, faſtu, contumacia, aut ſupina negligentia violatur Prima tabula, cui ſeruire debent.

4. Ex diuina Auctoritate.

98 *Rurſus*, quemadmodum de Ciuili Magiſtratu dicitur, *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto.* (*Rom* 13.12.) *Quiſquis opponit ſe poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*, (*Rom.* 13.2) *Suggere ipſis vt ſeſe ſubijciant principatibus ac poteſtatibus, Tit.*3.1. *Item, Epheſ.*6.1.*Coloſſ* 3 22,23.

99 Ita etiam & de Eccleſiaſtico: *Obedite præpoſitis veſtris, & obſecundate, aut ſubiacete eis: excubant enim ipſi pro animabus veſtris tanquam rationem reddituri.* (*Hebr.*13.7) *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* (*Luc.*10.16) *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus ac Publicanus.* (*Mat.*18.*ver.*17.) *Noſtis quæ mandata dederimus vobis per Dominum Ieſum. Proinde qui hæc reijcit, non reijcit hominem, ſed Deum, qui etiam dedit nobis Spiritum ſuum Sanctum, 1 Theſſ.*4.2,8.

100 Quare cùm ſimile ſit ius vtriuſque poteſtatis, etiam ſimiliter obligant leges.

5. Ex Materia.

101 *Ad hæc*, ex Materia. Ciuilis enim Poteſtatis materia, eſt ſocietas hominum, illiúſque

illiúſque conſeruatio ad corporalem hanc vitam tranſigendam ſub vno, eodémque Magiſtratu.

102 Sic etiam Eccleſiaſticę poteſtatis Materia, eſt Eccleſia, id eſt, cœtus hominum Chriſtianorum, quatenus quidem vocati ſunt à Deo, & ipſi conſecrati ad ſpiritualem vitam ducendam in vera Dei obedientia. Vtriuſque eadem eſt ratio.

103 *Denique*, ex Fine proprio. Magiſtratus finis, eſt vt humanam ſocietatem tranquillam & quietam tueatur, legibus bonis informet, ciuium ſuorum corpora & bona conſeruet, eorum vitam protegat; quatenus ſci. incolæ ſunt huius mundi & in terris degunt, *Rom.13.3,4,5.* 6. Ex Fine.

104 Ita Præſulum & Paſtorum Eccleſiæ directus finis, eſt vt Ciuium Eccleſiæ conſcientias ædificent, regant, informent, doceant verbo Dei, quatenus ſunt municipes cælorum, & in cælis aliquando colligendi. *Epheſ.1.18.Philip.3.20.Coloſſ.3.2,3.*

105 Vnde Eccleſiaſtica poteſtas, *Ius poli*; Ciuilis autem, *Ius ſoli* nominari ſolet.

106 Singuli verò debent ad communis tranquillitatis defenſionem, velut ſymbolum conferre ſuam obedientiam, tributa, operas; cùm id non faciant, defraudant reliquos:

liquos : fruuntur enim alienis officijs, & ipſi nihil conferunt. Vt is qui ſympoſio non confert ſymbolum, defraudat conuiuas.

107 Sic etiam qui ſuam obedientiam, tanquã ſymbolum, non conferunt erga Eccleſiaſticas leges ; aliorum fidei, moribus & conſcientijs nocent, ſcandala pariunt, & temerè perturbant Eccleſiæ tranquillitatem.

108 Cùm igitur in vtriúſque Poteſtatis legum violatione pericliteur charitas, & incurrant ſcandala, ſequitur, quòd ſimilis ſit omninò harũ legum auctoritas & obligatio.

CAP. IX.

¶ *De Scandalo. Et quinam Scandalum præbeant, Præſuléſne Eccleſiæ & Magiſtratus Ciuilis, qui obedientiam in receptis & approbatis ab Eccleſia Adiaphoris requirunt: an verò Miniſtri quidam, qui Eccleſias potiùs deſerunt, quàm iſtis acquieſcere volunt.*

Scandalum quid ſit.

SCandalum, eſt quicquid alicui vel cauſa, vel occaſio offenſionis exſiſtit. Seu dictum, aut factum, aut exemplum, aut conſilium noſtrum, quo proximus vel

vel contriſtatur, vel turbatur, vel offenditur; ita vt à recto ſalutis curſu vel impediatur, vel deflectat, ad errorem aut peccatum inducatur, aut in malo confirmetur, *Rom. 14.15.1.Cor.8.9.*

2 Scandalum duplex eſt, *Internũ* & *Externum.* Scandalum duplex.

3 *Internum Scandalum*, eſt cùm vetus Homo offendiculum præbet nouo Homini, (*Matth.5.29.*) Si oculus tuus dexter, &c. Internum.

4 *Externum Scandalum*, eſt quod foris accidit, & præbet alicui vel cauſam, vel occaſionem ruinæ. Externum.

5 Externum Scandalum item duplex eſt, *Actiuum ſiue Datum*: & *Paſſiuum ſiue Acceptum.* Externum Scandalum duplex.

6 In vtróque duo ſpectanda ſunt, *Fundamentum* ſiue *Materiale*, hoc eſt, factum ipſum: & *Terminus* ſiue *Formale*, hoc eſt, imitationis ſeu offenſionis occaſio; vnde Scandali nomen eſt. NB.

7 *Actiuum ſiue Datum Scandalum*, eſt cuius culpa ab ipſius rei aut actionis auctore profecta eſt. Siue cùm aliquis efficacem cauſam lapſus alij præbet. 1. De Actiuo Scandalo.

8 Hoc, ſi Materiale ſpectes, aut oritur ex facto per ſe malo, hoc eſt, diſertè prohibito Lege Dei: aut ex facto in ſe adiaphoro,

ro, ſed intempeſtiuè vel facto vel omiſſo contra charitatis regulam. In illo duplex peccatum, in hoc ſimplex eſt.

9 De priori loquitur Chriſtus ad Petrum (*Matt.16.23.*) *Vade poſt me, Satana, Scandalo es mihi.* Etſi enim Chriſtus non impegit ipſe, tamen per Petrum non ſtetit quominùs Chriſtus crucis cogitatione perterrefactus, iter ſuæ vocationis abrumperet: & dictum Petri reuera eum contriſtauit; & potuit infirmis occaſio eſſe ruinæ.

10 Huic Scandali generi omnes hæreſes, omnia flagitia, omnes actiones aut omiſsiones pugnantes cum Lege Dei; breuiter, quicquid aduerſatur Dilectioni Dei aut proximi, ſubijcitur.

11 Hoc omnes quibus ſalus curę eſt, non ſecus quàm infernum ipſum cauere debent: cùm Chriſtus ipſemet dixerit, *meliùs eſſe auctori huius Scandali, vt alligata mola aſinaria collo eius, ſubmergatur in profundum maris, Matth.18.6.*

12 De poſteriori genere loquitur Apoſtolus, (*1.Cor.8.13.*) Non enim vult Paulus cum offenſione Proximi, vel vti Adiaphoris, vel abſtinere ab eorum vſu.

Triplex hominum genus in vſu A-

13 Verùm triplex hîc Hominum genus conſiderandum eſt. Quidam enim ſunt *Docti*

cti Chriſtianam libertatem, ideò firmi habentur: his non eſt ſcandalo factum Adiaphorum, ſed gaudio potiùs & conſolationi. diaphororum conſiderandum. 1.

14 Quidam *Obſtinati ſunt & indociles*. De his Regula Chriſti obſeruanda eſt; *Omittite eos, quia cæci ſunt & duces cæcorum.* 2.

15 Quidam ſunt *Infirmi & veluti puſilli* in ſchola Chriſti. Horum ratio habenda eſt in vſu τῶν ἀδιαφόρων. 3.

16 Nam qui cum ſcandalo talium, hoc eſt, infirmorum, vtitur Adiaphoris, charitatis Legem violat, & Chriſti fidem abijcit.

Atq; hactenùs de Scandalo Actiuo ſiue Dato: Sequitur de Paſſiuo ſeu Accepto.

17 *Paſſiuum ſiue Acceptum Scandalum*, eſt quod homines ſibi accipiunt, vel ex aliorum rectè factis, dictis, conſilijs; vel ex doctrina recta & externa Eccleſiæ forma; vel in genere ex alijs rebus quibuſcunque. 2. De Scandalo Paſſiuo.

18 Specialiter verò, eſt dictum aliquod noſtrum, conſilium, aut factũ pium, iuſtum, aut per ſe honeſtum, aut ſaltem non improbè nec importunè admiſſum: propter quod tamen quiſpiam malè de nobis, ſed immeritò, vel ex quadam peruerſitate, maleuolentia, aut ſiniſtra quadam malignitate animi, vel errore iudicat, & in offenſionis occaſionem rapit.

19 Atque

Paſſiuum Scandalum duplex.

19 Atque hoc Paſsiuum ſiue Acceptum ſcandalum, vel *Humanum* eſt, vel *diabolicum*.

1. Humanum, quod vel

20 Paſsiuum ſcandalum *Humanum*, vel *Impiorum* eſt, vel *Piorum infirmorum*.

Impiorum eſt,

21 *Scandalum Acceptum Impiorũ*, vel Mundanorum & hominum Sapientum extra Eccleſiam, vel Hypocritarũ in externo Eccleſiæ cœtu, eſt quando impij offenduntur;

22 I. Vel infima ſpecie, humilitate, & cruce Chriſti in aſſumpta carne, *1. Cor. 1. 23*.

23 II. Vel Euangelij abſurditate imprudenter concepta, nouitatis ſuſpicione, ſimplicitate doctrinę Euangelij, gratiæ prędicatione, prædeſtinationis articulo, veteris hominis mortificatione, *Matth. 15. 12*.

24 III. Vel externa Eccleſiæ forma.

25 IV. Vel Piorum vita & actionibus, quibus ſentiunt ſe redargui libero Adiaphororum vſu.

26 V. Vel Cruce & perſecutionibus, quæ profeſsionem Euangelij comitantur.

Vel Piorum infirmorum.

27 *Scandalum Acceptum Piorum*, eſt quod ab Infirmis adhuc in Eccleſia, aut minimè malis accipitur; à maligni oribus autèm captatur, vt Euangelij doctrinam rudioribus dubiam & incertam reddant.

28 I. Vel ex Eccleſiæ oppreſsione & innocentum ſupplicijs.

29. II.

29 II. Vel ex Hæreſibus & diſſenſionibus quæ turbant Eccleſiam.

30 III. Vel ab Aduerſariorũ doctrinæ cœleſtis multitudine, potentia, auctoritate.

31 IV. Vel à florenti Impiorum fortuna, & proſpero rerum ſucceſſu, *Pſal. 73. 2.*

32 Verùm hoc ſcandalum rurſùs ſuperant Pij confirmante eos Spiritu ſancto, partim exemplis Eccleſiæ Chriſti, partim ardentibus precibus. &c.

33 *Paſsiuum Scandalum Diabolicũ*, eſt cùm homines proteruè Sanctorum lapſus & vitia captant ad peccandi licentiam; vt ſine pudore ad omnem nequitiam ſe proijciant. *Geneſ 9. 22. Geneſ. 19. 30, 31. 2. Sam. 11. 2, 3, 15. Matth 26. 72, 74. Luc. 19. 8.* 2. Diabolicum.

34 Vocatur autem *Diabolicum*, à qualitate, non à ſubiecto, quia malitioſè in dedecus Patrum & contumeliam Dei vſurpatur: proindè maximè cauendum eſt.

Iam verò hæc ad propoſitum noſtrum accomodemus.

35 Quemadmodum inter omnes totius Europæ Eccleſias, nulla Religionis & cultus diuini inſtaurationem magis opportunè, nec ordine magis conuenienti inſtituit & amplexa eſt, quàm Eccleſia Anglicana: in qua nihil tumultuariò, nihil vi & armis, nihil De Eccleſiæ Anglicanæ Reformatione.

nihil fraude actum; ſed omnia ſummo cum omnium Ordinum applauſu, & vnanimi Procerum & plebis conſenſu, in celeberrimis totius Regni comitijs, quod Parliamentum vocant, ad Verbi Dei præſcriptum, & purioris Eccleſiæ Primitiuæ indubitatum exemplar reuocata ſunt.

36 Ita nullibi inſigniùs aut magnificentiùs apparet Eccleſiæ facies in alijs prouincijs, in quibus omnia ex Presbyterij & plebeiæ hominum ſortis arbitrio prudentia, non eam exhibent intuentibus Politiæ Eccleſiaſticæ ſpeciem, nec ſacrorum ordinatę cuiuſquam formæ ſpecioſum apparatum, qualem in Anglia conſpicimus.

37 Atque hanc ὀρθοδοξοτάτην Religionem per annos iam ferè ſexaginta, excepto luctuoſiſsimo Marię quinquennio, conſtantiſsimè per Dei gratiam profeſsi ſumus: quemadmodum ex Liturgia, è cuius præſcripto rem ſacram perficimus luculenter apparet.

38 Cęterùm, huic Dei & Eccleſię conſenſui quamuis homo non Cyclopicus lubenter acquieſceret: tamen nonnulli omnia in deteriorem partem interpretantes, minimè cognitis negotijs, nullis rationibus exploratis, non conſideratis temporibus, non Doctrinam, (contra quam ne Diabolus

abolus ipſe quidem hiſcere audet) ſed Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ inſolenter aggrediuntur, & de aliorum conſilijs actionibúſque quàm audaciſsimè pronunciant. Quod factum eſt reprehendunt; quod fieri oportuerit, ſubijciunt. Rectè tradita faſtidiunt, & arrogantia inflati nouas opiniodes quærunt.

Miniſtrorum quorundam in Liturgiam Anglicanam furor.

79 Neque iſta quidem faciunt, ſicut boni viri ſolent, modeſtè, & opportunè, & ſuo loco; ſed accuſatoriè, & inſolenter, & pro ſuggeſtu, & apud vulgus, cui inſectationes & obtrectationes gratæ ſunt.

80 Quin & in circulis & conuiuijs, de Ceremonijs & Diſciplina Eccleſiaſtica diſputant, & quidem elatis ſupercilijs.

81 Hinc euolant Libelli quoque metuentium, ne aliquorum manſuetudine & moderatione quies conſtituatur.

Libelli famoſi.

82 Hæc peruerſa improbitas, & importuna licentia tribunitijs clamoribus cauſam dedit horribilium diſtractionum.

83 Etenim Reuerendiſsimi Eccleſiæ Præſules, nec non Magiſtratus Ciuilis, animaduertentes iſtas non eſſe Cenſuras veritatem quærentium, ſed plerumque ferocium, & qui oderunt quietem, aut ambientium aliquem ita applauſum popularem;

Præſulum Eccleſiaſticorum & Magiſtratus Ciuilis acta in Refractarios.

 aut

aut certè curioſorum, cuiuſmodi neminem eſſe ait Poëta quin ſit maleuolus, nullas omninò volunt in Liturgia fieri intempeſtiuas mutationes, in quibus ſemper etiam tranquillis temporibus aliquid eſt incommodi: præſertim cùm hæc ætas fato quodam videatur obnoxia crebrioribus mutationibus: & mira ſit ingeniorum inconſtantia, curioſitas, petulantia.

Mutationes periculoſæ.

84 Quare & ad pacem Eccleſię procurandam, & ad ordinem & decorum in congreſsibus publicis ſeruandum, addunt inſuper comminationem, vt qui communi & publica Liturgia vti nolunt, è ſtatione diſcedant.

Refractariorum Miniſtrorum turbæ.

85 Hinc homines quidam vel naturâ, vel praua conſuetudine ἐριστικοί, & amantes cauillationum ac ſophiſtices, non acquieſcunt, ſed perpetuò rixantur, & ſtolidè tumultuantur vbi nihil opus eſt.

86 Ac vt odia accendant, & ſuſpiciones cumulent, multa proferunt ex Liturgia noſtra, quæ calumniosè interpretantur; hominum ſuffragia tumultuariò conquirunt; & pauca ſubinde ex Noſtrorum ſcriptis hinc inde delibant, vt habere ſe non ſolùm teſtes, ſed etiam adſtipulatores videantur.

87 Interea de grauiſsimo (ſcilicet) iugo

Ceremo-

Ceremoniarum & humanarum Traditionum (nempè de linea Veſte in adminiſtratione Sacramentorum, conſignatione Crucis in Sacramento Baptiſmi, & Geniculatione in ſacra Cœna) anxiè quiritantes; ſtulta moroſitate ac contumacia Gubernatoribus aduerſantur, diſsidia alunt; & ſiue laudem conſtantiæ acquirendi ſtudio, ſiue alijs gratificandi operâ, ſiue libertatis cupiditate, ſiue nouitatis amore, ſiue pacis & ordinis odio, ſiue ex Vertiginis Spiritus natura, aut alia aliqua de cauſa Eccleſias deſerunt, atque ita pertinacia ſua altum ſibi ipſis imponunt ſilentium.

Quas ceremonias improbent Refractarij.

Refractarij Miniſtri deſertores Eccleſiarum.

88 Iam verò, cùm ſic ſe res habeat, difficile non erit iudicatu, quinam in Eccleſia Anglicana Scandalorum auctores extiterint.

Qui ſint Scandalorum Auctores.

89 Cæterùm, nequaquam inuocationi veri Dei in publicis congreſsibus Eccleſiæ, nequaquam vocationis neceſſarijs operibus, nequaquam ſaluti animarum anteferendum eſt ſuperſtitioſum & pertinax ſilentium, cuius manifeſta eſt impietas, *Væ mihi ſi non euangelizauero, &c.*

90 Ac quanquam vafri quidam innuere fucos erroribus conentur, tamen hæc tam perſpicua eſt veritas, vt nulla Sophiſtica,

nulla Sycophantica obrui poſsit.

Miniſtrorum pertinacia multiplex Scandalum.

91 Hæc enim Miniſtrorum quorundam pertinacia multiplex ſcandalum eſt. Contriſtatur Spiritus Sanctus in imbecillioribus, qui vident ſe à ſuis Paſtoribus, ſine grauiori, ſine vlla prorſus cauſa, deſeri. Adducuntur infirmiores in dubitationem, qui metuunt non probari vſum Libertatis illis, qui doctrina & religionis opinione antecellunt.

92 Nec ſunt obſcura bonorum vota in quamplurimis Eccleſijs, quorum exaudire gemitus, affici lachrymis eos decebat, ſiquidem velint eſſe Paſtores, non Tyranni.

93 Hinc multi inſcitià impediti & ignorantiæ tenebris, non inuocant, ſed fugiunt Devm.

94 Indè multi in Epicureum Religionis contemptum ruunt, aut deſperatione opprimuntur.

95 Quare & hæc eorum moroſitas & contumacia infinita agmina animarum à Deo auulſit, & in exitium æternum impulit.

96 O ferrea pectora Paſtorum (ſcilicet) ſi hæc tanta mala non conſiderent, ſi non tot animarum interitu afficiantur, ſi non putent magnum ſcelus impedire veram inuocationem,

uocationem, ſi non cogitent vtiliores eſſe Eccleſijs ſe Paſtores doctos & diligentes, quàm indoctos & leues ſcurras!

97 Præterea, Confirmant refractarij Miniſtri hoſtes verę doctrinę, & eorum furores, qui fiunt pertinaciores & inſolentiores hac fœda Miniſtrorum tergiuerſatione.

98 Nec énim iucundius nec optatius Antichriſto ſpectaculum præberi queat, quàm vt mutuis diſsidijs collidi, atque inter ſe digladiari videat, quos fruſtra hactenus ſub tyrannidis ſuæ iugum reuocare ſategit.

Diſſidia inter Eccleſias Reformatas iucundum ſpectaculum Antichriſto.

99 Contrà, nec luctuoſius nec calamitoſius Eccleſiæ Chriſti aliquid accidere poſsit, quàm ſi diſsidiorum faces accendi, ſi viſcera ſua lacerari ſentiat ab his, quos coniunctis animis, armíſque communem hoſtem oppugnatum ire decuit.

Sed luctuoſum Eccleſiæ Chriſti.

100 Sed diuinæ comminationes ſeriò cogitandæ ſunt, *Væ homini per quem venit ſcandalum, &c. Requiram gregem meum de manu illorum, & delebo eos*; quæ profectò haud erunt irritæ.

101 Quapropter optandum eſt, vt omnes libertatis Vindices habeant rationem ſuæ ſalutis, & liberent ſe ab his ingentibus

ſcandalis. Nam hoc argumentum refutari nullo modo poteſt.

Epiſcopos non eſſe Scandalorum Auctores.

102 Quòd autem Epiſcopis & Magiſtratui Scandala obijciantur, Nouimus quoſdam vel ad rauim vſque clamare eos horribili impietate profanare diuinum cultum.

103 Verùm, vt fit in factionibus & ſtudijs partium, ſuis affectibus morem gerunt, & odium ſuum & contumaciam erga Magiſtratum ſignificant; ac iniuſtè reuerendiſsimos traducunt Eccleſiæ Præſules, qui tot iam annos ſumma cum laude & piorum ædificatione Herculeos in promouenda populi ſalute labores exantlârunt, atque optimè de Eccleſia Chriſti meriti ſunt.

104 Offendiculi occaſionem ex Præſulum inſtituto ab impijs arripi poſſe non diffitemur: ſed eam ab ipſis præberi, omniáq; incommoda vel præuerti poſſe, vel præſtari debere, pernegamus.

N B.

105 Quid enim? Si in paſcendis Chriſti ouibus & earum gubernatione, quælibet Eccleſia conſulat gregibus ſuæ curæ concreditis, nihil præſcribat, obtrudátque alienis. Nónne ęquum ſanè eſt ſuam Anglicanæ Eccleſiæ libertatem conſtare; cuius ei ratio quoque conſtat, ſi Chriſto Domino

libertatis

libertatis noſtrę aſſertori, eiúſque Eccleſiæ Catholicę reddatur?

106 Sed viderint veri ſcandalorum Auctores, quid ſit Eccleſiam ſcindere, & ſchiſmatum ſemina ſpargere aliud, quàm charitatis iugulum petere.

Schiſmatici ſunt Miniſtri refractarij.

107 Quod quidem hi faciunt, qui priuatis ſuis pręiudicijs publicum totius Eccleſiæ iudicium conuellunt; atrúmque Magiſtratus auctoritati in rebus Adiaphoris ſignum allinunt.

108 Atque ita hanc non tam Diſputationem, (res enim manifeſta eſt) quàm Querelam abrumpere cogor; quæ multò breuior & languidior eſt, quàm qualem poſtulet magnitudo malorum, quę hac quiduis carpendi effuſa licentia & [illegible] in Eccleſia orta ſunt, & adhuc oriuntur, & deinceps orientur, donec liberabit Eccleſiam ſuam Filius DEI Dominus noſter IESVS CHRISTVS, oſtendens ſe vniuerſo generi humano, reſuſcitatis mortuis.

G 4 CAP.

CAP. X.

¶ *De Cultu Dei: Et quòd opera Adiaphora, & Ceremoniæ εὐταξίας cauſâ in Eccleſia conſtitutæ, non ſint Cultus Dei.*

Cultus Dei, quid ſit,

CVltus Dei, eſt omnis illa ſeruitus, obſeruantia, reuerentia & religio, quâ tàm intus in corde, quàm foris ipſo opere Devm colimus, eiq; ſeruimus.

2 Hic autem ſi iuxta voluntatem Dei ritè peragatur, *verus Cultus* dicitur; ſin verò contrà, *falſus & idololatricus*.

Verus Cultus quid dicatur,

3 *Verus Dei Cultus*, eſt omne opus internum vel externum mandatum à Deo, factum in fide, hoc principali fine, vt Deus glorificetur.

4 Et verè Deum colere, eſt Deum ita colere, quemadmodum ſe in verbo ſuo velle coli præcepit.

Efficiens cauſa Cultus Dei.

5 *Cauſa Efficiens* prima & princeps veri Cultus, eſt Spiritus Sanctus, à quo acti Deum adoramus & colimus.

6 Eſt enim Spiritus ille, qui & ipſam fidem vnde fluit Cultus donat, & ad opera pia tum interna, tum externa excitat. *Operatur enim in nobis velle & perficere, pro ſua*

bona

bona voluntate, vt ait Apoſtolus.

7 Secundaria & minùs principalis Efficiens Cauſa, eáque proxima, ſumus nos, qui adoramus Deum & colimus.

8 *Materialis Cauſa*, eſt ipſum opus à Deo mandatum, quo Deum ſumma reuerentia adorantes, illi inſeruimus: nulla enim creatura habet ius inſtituendi cultum Dei. Materia Cultus.

9 Hinc excluditur omnis ἐθελοθρησκεία, & commentum de bona intentione, cùm ſcilicet homines mala faciant, vt eueniant bona, vel cùm ipſi confingant opera, quę Deo pro cultu obtrudunt, non quidem per ſe mala, ſed tamen non præcepta à Deo.

10 Nam ad Cultum Dei non ſufficit aliquod opus non eſſe malum, vel non prohibitum, ſed oportet eſſe à Deo pręceptum. 1. Sam. 15.22. Ezech. 20.19. Matth. 15.9. Eſa. 29.13. N B.

11 *Formalis Cauſa*, eſt Fides. Non ſolùm enim ab hac, tanquam ab Efficiente cauſa, oriuntur opera & actiones iuſtę, ſicut etiam ab anima actiones omnes humanæ; ſed etiam ab hac, tanquam à forma, habent eadem opera, vt ſint pia, ſancta, eóque Deo grata. Forma Cultus.

12 *Finalis Cauſa*, eſt Gloria Dei; eò enim referendus eſt totus cultus. Finis Cultus.

13 Cultus

Cultus Dej Immediatus: qui vel

13 Cultus Dei vel *Immediatus* eſt, vel *Mediatus*.

14 *Immediatus* cultus, eſt cùm opera Deo immediatè præſtantur. Et hic generaliter continetur in prima Tabula Decalogi.

15 Eſtque vel *Internus*, vel *Externus*.

Internus eſt,

16 *Internus Immediatus* cultus multis partibus conſtat, quę licet à ſe inuicem inſeparabiles ſint reipſa, verè tamen inter ſe diſtinguuntur, & verè etiam habent aliquem ordinem.

17 Ac primùm quidem in duo præcipua Actionum genera diuiditur hic Cultus: *Quædam* Deo loquenti, ſeſe patefacienti, gratiam fœderis aliáque bona promittenti & offerenti reſpondent, credendo, cognoſcendo, ſeſe humiliando, adorando, recipiendo. *Quædam* verò Deo ſtipulanti atque iubenti ſubſcribunt, viciſsim promittendo, & obedientiam præſtando.

18 Ad primum Genus pertinent, I. *Fides*, quæ Deo loquenti adhibeatur.

19 II. *Cognitio Dei*, qualis ex verbo donatur per Spiritum ſanctum.

20 III. *Adoratio & Timor*, quibus cognito Deo fidelis ſeſe ſubijciens, illum reuerenter adoret & timeat.

21 IV. *Fiducia*, qua promiſſam, oblatámque gratiam recipiat, totúſque ab illo pendeat.

22 V. *Spes* denique cum *Patientia*, qua complementum promiſsionum in media etiam morte exſpectet.

23 Ad Alterum Genus ſpectant, I. *Dilectio*, qua totum ſuum quíſque cor, corpus & animam conſecret Deo.

24 II. *Oblatio inuocationis*, qua ſuis quíſque neceſsitatibus Deo explicatis, ſeſe illi curandum, ſubleuandum, iuuandũ, ſeruandum offerat, præbeátque, & ceu in manum tradat.

25 III. *Gratiarum actio*, qua pro beneficijs acceptis, ſacrificiũ laudis offerat Deo.

26 IV. *Animi reſipiſcentia*, qua cor ſuum, totúmque ſeipſum gladio Spiritus mactet, offerátque Deo hoſtiam viuentem, ſanctam, rationalem, Deo placentem.

27 V. *Virtus obedientiæ*, qua animum ad omnia mandata implenda paratum atque ſtudioſum hilari fronte offerat exhibeátq;.

Hæc de Interno-immediato Cultu;
Sequitur de Externo.

28 *Externus-Immediatus* Cultus duplex eſt, *Moralis*, & *Ceremonialis*. Vel Externus: & hic.

29 *Moralis Externus - Immediatus* Cultus,

Aut Moralis eſt, qui vel

tus, eſt qui in externa obedientia, ab interna tamen proficiſcente, mandatorum Dei Moralium conſiſtit.

30 De hoc diſſeritur in ſingulis pręceptis primæ Tabulæ: ad quæ referuntur quęcúnque de moribus apud Moſen alibi, apud Prophetas & Apoſtolos, reperiuntur; cùm omnia hæc explicationes ſint Decalogi.

31 Eſtque duplicis Generis: Alius enim in *Verbis:* Alius in *Factis, re & opere* conſiſtit.

Verbalis eſt,

32 *Verbalis* Cultus Moralis, ſunt Iuſiurandum in genere, Confeſsio fidei & nominis Dei, Inuocatio Dei verbis concepta, Gratiarum actio, Laudes Dei, Veritatis teſtificatio, & quęcúnque lingua pręſtari poſſunt tàm publicè, quàm priuatim, quibus Deus glorificari poſsit, & ipſius honori inſeruiri.

Vel *Realis*.

33 *Realis* Cultus Moralis, eſt qui in factis, ſeu rebus, ſeu opere verſatur, qualia ſunt reliqua externa fidei opera.

Aut Ceremonialis.

34 *Ceremonialis Externus Immediatus* Cultus, eſt qui in externa obedientia Mandatorum Dej Ceremonialium conſiſtit.

35 Et diuiditur in eum, 1. Qui fuit ante Legem. 2. Qui fuit ſub Lege. 3. Qui iam poſt Legem in Eccleſia obtinet.

36 Nunquam enim Eccleſia Dei in terris

ris caruit ceremonijs, néque carere poteſt; cùm ſine ceremonijs nec fideles in vnum conuenire & coaleſcere poſsint, néque Deo publicè ſeruire.

37 Itáque à condito orbe, etiam ante Moſen, Eccleſia ſua ſemper habuit Sacramenta, ſacrificia, publicos conuentus, publicas preces, ritus ſacros, ſicut ex ſacris literis conſtat.

38 Cæterùm hoc fuit ſingulorum ſtatuum Eccleſiæ cõmune in Cultu Ceremoniali, quòd ille apud omnes partim in verbis, partim in rebus & factis, ſicut etiam & de externo Cultu ceremoniali diximus, conſtiterit ac conſiſtat.

39 Quia nunquam vel adminiſtrari Sacramenta, vel ſacrificia offerri potuerunt, aut aliquid in Cultu diuino præſtari, quin verba ſimul cum rebus & factis coniungerentur ac coniungantur.

Atq; hæc de Cultu Dei Immediato; Iam de Mediato.

40 *Mediatus* Dei Cultus, eſt cùm opera Moralia proximo præſtantur propter Deũ. Mediatus Dei Cultus, qui vel

41 Hic autem Mediatus Cultus, qui in officijs erga homines vel proximos conſiſtit, in ſecunda Tabula continetur.

42 Eſtque

Externus eſt,

42 Eſtque ſimiliter, vel *Externus*, vel *Internus*.

43 *Externus-Mediatus* Cultus Dej conſiſtit, I. *Partim* in Officijs Superiorum erga Inferiores, & contrà; de quibus Officijs, vt & de Ordine etiam Politico ſub ijs comprehenſo, agitur in Quinto Præcepto.

44 II. *Partim* in Officijs Proximorum erga Proximos, quæ in reliquis Præceptis ſtabiliuntur.

45 Eáque ſunt, vel Conſeruatio vitæ & ſalutis ſuæ & alienæ, quæ in Sexto.

46 Vel Conſeruatio caſtitatis & coniugiorum, quæ in Septimo.

47 Vel Conſeruatio rerum ſeu poſſeſſionum, quæ in Octauo.

48 Vel Conſeruatio veritatis, quæ in Nono Præcepto exigitur.

Vel *Internus*.

49 *Internus-Mediatus* Dei Cultus, eſt affectionum omnium erga Proximum rectitudo, quæ includenda eſt omnibus præceptis præcedentibus, & in Decimo Præcepto adiungitur.

Hactenus de Cultu Dei Mediato.

Quòd ritus Eccleſiaſtici & opera Adiaphora non ſint Cultus Dej.

50 Ex his quæ dicta ſunt manifeſtò colligitur, Cultum Dei tale quidem opus eſſe, cuius proprius finis eſt honos Dei; & cuius præſtatione Devs honore, omiſſione verò

verò contumelia afficitur.

51 Quapropter Ceremoniæ, ſiue ritus in publicis congreſsibus Eccleſię vſitati, & opera Adiaphora, quæ à Deo nec mandata ſunt nec prohibita, à cultibus Dej diligenter diſcernenda ſunt.

52 I. Quia fingere alium Dej cultum, eſt aliam Dej voluntatem, proindè & alium Deum fingere. Et illud facientes, vt olim Aaron & Ieroboam, non minùs Idololatrię accuſantur, quàm qui ex profeſſo alium Deum præter Iehouam in Eccleſia patefactum colunt. 1.

53 II. Quia confuſis cultibus, confunditur verus Devs cum Idolis, quę humanitùs excogitatis cultibus honorantur. Vult enim Deus propriâ, & a ſe inſtitutâ cultus formâ, ab omnibus fictitijs Numinibus diſcerni. 2.

54 III. Quia *quicquid non eſt ex fide peccatum eſt, Rom. 14. vlt.* Qui autem aliquid Dei colendi cauſa facit neſciente vel dubitante conſcientia, an Devs hoc modo coli velit, is non agit ex fide: quia ignorat, an hoc ſuum opus placeat Deo, an verò diſpliceat; & Devm contemnit, eò quòd facere aliquid audet, etiamſi Deo diſpliceat. 3.

55 Sed ritus humanos obſeruat Eccleſia propter

propter vtilitatem corporalem, vt ſciat populus quo tempore conueniendum ſit; vt grauiter in templis exempli cauſâ fiant omnia; denique vt vulgus etiam habeat quandam pædagogiam.

56 Has cauſas habebant etiam Patres rituum ſeruandorum, vt apertè teſtatur Epiphanius *in Diſputatione contra Encratitas*, qui fingebant, (quemadmodum hodiè Papani) humanas obſeruationes eſſe Cultum Dei; & iuſtitiam propter quam Deo accepti eſſent, quę placarent iram Dei.

57 Hanc opinionem improbat Epiphanius; & alios fines eſſe Traditionum & rituum in Eccleſia oſtendit: Dicit enim probandas eſſe Traditiones factas διὰ τὴν ἐγκράτειαν, ἢ διὰ τὴν πολιτείαν, hoc eſt, aut ad coërcendam carnem, propter diſciplinam rudium, aut propter politicum ordinem.

CAP. XI.

¶ *Solutio Obiectionum, quæ à Miniſtris Refractarijs opponuntur.*

HActenùs de Adiaphoris [illegible] diſputauimus; vbi etiam ad Adiaphororum naturam penitiùs intelligẽdam Compoſita quædam, vnde

vnde generales Solutiones peti poſsint, adiunximus: Sequitur vt falſitatem ἀδιαφοριστῶν iugulemus.

Obiectio I.

2 Primò itaque obijciunt Miniſtri. *Nemini mortalium licet nouos Dei cultus fingere.* Obiect. 1.

Ergo. *Eccleſia non poteſt ritus & ceremonias Eccleſiaſticas inſtituere.*

Responsio.

I. Ad Antecedens.

3 I. Concedo Antecedens. Si enim hominibus inſtituere nouos cultus liceret; tum omnium gentilium cultus approbandi eſſent, vt & cultus inſtituti à Ieroboam & alijs extra legem. Quid enim intereſt? ſi nobis liceat inſtituere nouos cultus, cur non licuit idem Gentibus & Iſraëlitis? Reſp. Ceremoniæ Eccleſiaſticæ non ſunt Cultus,

4 II. Si quidem de voluntate Dei nihil affirmari poſsit ſine verbo Dei, tum certum eſt Deum nouos cultus non approbaturum.

5 Apoſtolus ait, *Quicquid non eſt ex fide peccatum eſt:* quare cùm hi Cultus nullum habeant teſtimonium Verbi Dei, dubitare conſcientiā neceſſe eſt, vtrum placeant Deo.

6 III. Et reuera Cultus Dei, eſt opus mandatum à Deo, ſeu certo Dei teſtimonio

inſtitutum, quo Devs pronunciat ſe honore affici, faciendum hoc fine, aut immediato, aut principali, vt Deo obtemperetur, & vt Deus celebretur, vt & ſuprà abundè diximus. Et omnis ἐθελοθρησκεία nominatim in SS. literis damnata eſt.

II. Ad Conſequentiam.

7 I. Nulla omninò eſt Conſequentiæ ratio. Quid enim? An non apertè diſtinguimus inter Cultum Dei, & Eccleſiaſticos ritus & ceremonias?

N B. 8 Cultus, eſt opus cuius proprius finis eſt honos Dei; ſed rituum & ceremoniarum finis, eſt decorum, ordo, ædificatio Eccleſiæ, diſciplina, & παιδαγωγία in politica vita neceſſaria.

9 II. Error eſt Ἔλεγχος παρὰ τὸ ἑπόμενον.

Obiect. 2. 10 Inſtant Miniſtri. *Quæ inſtinctu Spiritus Sancti præcipit Eccleſia, ſunt præcepta diuina & cultus Dei.*

Bonas & vtiles conſtitutiones Eccleſia facit, gubernante ipſius conſilia Spiritu Sancto; vt volunt Eccleſię Anglicanæ propugnatores.

Ergo. *Tales conſtitutiones Eccleſiæ ſunt cultus Dei.*

Reſp. Ceremonias non eſſe cultus. 11 Resp. Ad Propoſitionem. I. Sunt cultus Dei, quę Eccleſia inſtinctu, nomine

&

& auctoritate Spiritus Sancti præcipit; non retinens libertatem de illis deliberandi, aut ea mutandi, aut extra ſcandalũ omittendi.

12 II. Non autem ſunt cultus Dei, quę auctoritate & nomine ſuo conſulit, ſtatuit, & præcipit Eccleſia, etiamſi in his etiam eligendis & conſtituendis ductu Spiritus Sancti regatur.

13 Dictat enim Spiritus Sanctus Eccleſiæ vtrúmque, & quid ſit vtile ad vitanda ſcandala, & quòd ea quæ vitandi ſcandali cauſâ præcipiuntur neque cultus Dei ſint, neque extra caſum ſcandali aut contumaciæ ſint obſeruatu neceſſaria: vt patet ex dictis, (*1.Cor.7.6,36*) *Hoc autem dico ex conceſsione, non ex imperio. Hoc autem dico ad veſtrum commodum, non vt laqueum vobis inÿciam, ſed vt decenter adhæreatis Domino abſque vlla diſtractione.*

14 Sic Paulus vetat veſci idolothytis cum ſcandalo; extra id verò liberum relinquit.

15 Sic Apoſtoli in Synodo inſtinctu Spiritus Sancti præcipiunt abſtinentiam à ſuffocato & ſanguine: & tamen relinquunt Eccleſiæ libertatem omittendi præceptum, ſcandalo & contumacia ceſſante.

16 III. Error eſt [illegible], ſunt enim

quatuor termini; & Ἔλεγχος παρὰ τὸ πρός τι ἁπλῶς λεγόμενον.

Obiect. 3. 17 Rurſus inſtant. *Quæ ad Dei gloriam fiunt, ijs colitur Deus.*

Sed determinata ab Eccleſia ad gloriam Dei fiunt; vt aiunt Anglicani Præſules.

Ergo. *Hæc etiam ſunt Cultus Dei.*

Resp. Cerem. non eſſe Cultus. 18 Resp. Ad Propoſitionem. Quæ ad gloriam Dei fiunt, nempè per ſe, hoc eſt, quæ ab ipſo Deo præcepta ſunt in hunc finem, vt obedientiã noſtram erga ipſum his operibus declaremus, ea ſunt cultus Dei.

19 Non autem quæ per accidens ſeruiunt gloriæ Dei, hoc eſt, quę ijs præſtandis, quę à Deo ſunt præcepta, ſeruiunt aliquando propter accidentales cauſas, quæ ſi non concurrant, Deus honore affici poteſt tàm à facientibus ea, quam ab omittentibus, modò fiant, vel omittantur ex fide, quę ſtatuit perſonam Deo reconciliatam eſſe, & factum vel omiſsionem cum Dei voluntate congruere.

20 Error eſt παρὰ τὸ πρός τι ἁπλῶς λεγόμενον.

Obiect. 4. 21 Inſtant. *Quicquid fit ex fide & Deo placet, eſt Cultus Dei.*

Ceremoniæ & ritus Eccleſiaſtici (vt quidam volunt) *fiunt ex fide, & placent Deo.*

Ergo. *Sunt Cultus Dei.*

22 Resp.

22 RESP. Propoſitio particularis eſt. Neque enim ad cultum Dei definiendum ſufficit, vt aliquid placeat Deo: Cùm etiam Adiaphoræ actiones poſsint fieri ex fide & Deo placere, licèt aliter quàm Cultus Dei propriè dictus. Reſp. Cerem. non eſſe Cultus.

23 Hic enim ſic placet Deo, vt eius oppoſitum ei diſpliceat, ac proindè non poſsit fieri ex fide.

24 Adiaphora autem ſic probantur Deo, vt eorum oppoſita non improbentur, ac proindè vtráque fieri poſsint ex fide, quę opus & perſonam Deo placere ſtatuat. N B.

25 Error eſt ψευδοχρόσμα in Theologia; & imperfecta ac mutila Cultus definitio.

26 Inſtant. *Omnes actiones, ritus & ceremoniæ, quæ in publico Dei cultu fiunt, ſunt Cultus.* Obiect 5.

At Eccleſiaſticæ Conſtitutiones, de quibus in Eccleſia Anglicana rixatur, ſunt actiones, ritus ac ceremoniæ, quæ fiunt in publico Dei cultu.

Ergo. *Tales Eccleſiæ Conſtitutiones ſunt Cultus.*

27 RESP. Ad Propoſitionem. Propoſitio aſſertio eſt ἐν μεθόδῳ ἀναπόδεικτος. Actiones enim huiuſmodi, aut ordinis & decori, aut παιδείας & diſciplinæ cauſâ inſtituuntur; qua- Reſp. Cerem. non eſſe Cultus.

 propter

propter cultus Dei non ſunt, ſed exercitia cultui diuino ſeruientia; vtpote Sacramentis, precationi, fidei, pœnitentiæ excitandę, &c. quæ verè ſunt cultus Dei.

28 Error eſt duplex, ψευδοδοξία in Theologia, & ἔλεγχος παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβανόμενον.

Obiectio II.

Obiect. 6.

29 Obijciunt ſecundò. *Nulli Eccleſiæ licet Ceremonias ſignificatione aliqua illuſtres inſtituere.*

Ergo. *Nec Eccleſiæ Anglicanæ.*

Responsio.

Ad Antecedens.

Resp. Eccleſiam poſſe Ceremonias ſymbolicas aut ſignificatione illuſtres inſtituere.

30 I. Antecedens putidum eſt commentum, ſibilis potiùs explodendum, quàm congreſſu aliquo Scholaſtico ſeriò redarguendum. Certum enim eſt, ceremonias debere eſſe non otioſas, ridiculas & inutiles, ſed Verbo Dei conformes, ad vſum Eccleſię, animóſque hominum ad pietatem & verum Dei cultum excitandos accommodatas, & ſua ſignificatione nos ad Chriſtum ducere.

31 II. Percurramus Apoſtolicas aliquot ceremonias: (*1.Cor.11.4,5.*) Inſtituit Apoſto-

Apoſtolus, *vt in Eccleſia mulieres orent capite tecto, viri detecto.* Quid ita? Nempè vt quiſque eâ ceremoniâ moneatur ſui officij; vt vir ſe caput eſſe mulieris; & mulier ſe ſubiectam eſſe viro agnoſcat.

32 Item, (*1.Cor.11.33.*) ſtatuit, vt *ad celebrandam cœnam, omnes ſimul conueniant, & alter alterutrum exſpectet*: nimirum, vt hæc externa ceremonia conueniendi ſimul ſeruiat interno cultui, fidei ſci. & charitati, vnioníque animorum.

33 Præthereà, (*2.Theſſ.2.13,14,15.*) *Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit vos Deus ab initio ad ſalutem per ſanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati: Quò vocauit vos per Euangelium noſtrum, ad obtinendam gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nempe igitur, fratres, perſtate & retinete traditam doctrinam, quam edocti eſtis, & per ſermonem, & per epiſtolam noſtram.* Docet his verbis Apoſtolus, quales Theſſalonicenſibus Traditiones & Conſtitutiones commendet, quáſque illi ab eo acceperint: nempè tales, per quas commoueri potuiſſent ad pleniùs obtemperandum Deo, ad proficiendum in ſanctificatione Spiritus, in fide veritatis, & in acquiſitione gloriæ D. N. I. C. Hinc

igitur colligimus, Traditiones ſiue Ceremonias Eccleſiaſticas ſeruire debere ad proficiendum in ſanctificatione Spiritus, in fide veritatis, & in acquiſitione gloriæ Chriſti.

34 Porrò, (*1.Cor.5.5.*) Apoſtolus docet quomodò excommunicatio exerceri debeat in illum Inceſtuoſum; *vt ille pudefactus in carne, prouocetur fortiùs ad pœnitentiam, & ita Spiritus ſaluus fiat.* Ergo Ceremoniæ & Traditiones illæ, quibus homines magis ad pœnitentiam veram prouocantur, Apoſtolicę ſunt & bonę.

35 Rurſùs, Idem (*2.Cor.7.8,9,10.*) probat illas contriſtationes, quæ excitant ad pœnitentiam. *Nam etiamſi* (inquit) *triſtitia vos affeci per Epiſtolam, non me pœnitet*, &c. *Gaudeo quod triſtitia affecti fueritis ad reſipiſcentiam.*

36 Denique, *Oſculum Sanctum* (*Roman. 16.16. 1.Corinth.16.20. 2.Corinth.13.12*) quod D. Petro φίλημα ἀγάπης, *Oſculum dilectionis*, dicitur, (*1.Pet.5.14.*) mutui amoris, humanitatis, ciuilitatis, pudicitiæ & candoris Symbolum ac teſtimonium fuit inter Chriſtianos Primitiuæ Eccleſiæ vſitatiſsimum.

37 Hic adiungerem, clariſsimorum Decimi

cimi quinti ſeculi Luminum, *Caluini* & *Zanchij*, hac de re iudicium; niſi ex profeſſo hucuſque ab humanis teſtimonijs citandis abſtinuiſſem. Noui enim quàm nihili humanam auctoritatem Miniſtri æſtiment; & quàm ingratum iſtis ſit, vel doctiſsimorum Theologorum iudicio premi.

Modus in ceremonijs eria ſpectat, 1. in numero paucitatē: 2. in obſeruatione facilitatem, 3. in ſignificatione dignitatem, quæ etiam clariore conſtat.

Caluin. Inſt. Lib. 4, cap. 10. §. 14. An non hoc dignum inſectatione vitium eſt, quod non intellectas Ceremonias, velut hiſtrionicam ſcenam aut magicam incantationem oſtentant (*Pontifícij?*) Certum enim eſt, Ceremonias omnes corruptas eſſe & noxias, niſi per eas homines ad Chriſtum dirigantur. Quæ autem in vſu ſunt Ceremoniæ ſub Papatu, à doctrina ſeparantur, vt homines in ſignis omni ſignificatione carentibus retineant. *Caluin Inſtit. Lib. 4. Cap 10. §. 15.* Verùm ne quis calumnietur, nos in rebus externis nimium eſſe moroſos, qui adeò præciſè tollamus omnem libertatem: hîc teſtatum velim pijs Lectoribus, me non de Ceremonijs litigare, quæ decoro tantùm & ordini ſeruiunt; vel etiam ſymbola ſunt & incitamenta eius, quam Deo deferimus, reuerentiæ. *Caluin. in Tract. de Optimo Eccleſiæ reformandi genere. Cap. 6 De Cultu Dei & bonis Operibus.* Vt pietatis exercitia ſint Ceremoniæ, ad Chriſtum recta manu ducant, neceſſe eſt. *Zanch. in Compend Loc 16. pa 638.* Ceremoniæ ſunt pietatis exercitia, quia ſua ſignificatione ducunt nos ad Chriſtum. *Zanch. ibidem pag. 639.*

38 Error eſt duplex, 1. Putida principij petitio. 2. ψευδολογίαι in Theologia.

OBIECTIO III.

39 Obijciunt tertiò. *Omnia Idololatriæ monumenta & inſtrumenta tollenda omninò & deſtruenda ſunt.* Obiect. 7.

Ergo. *Templa in quibus Miſſæ celebratæ fuerunt, linea Veſtis, & Crucis conſignatio penitùs abolenda ſunt.*

RESPONSIO.

I. Ad Antecedens.

40 I. Antecedens non eſt vniuerſaliter verum. Reſp.

Reſp. De Inſtrumentis quæ Idololatriæ inſeruierunt, quatenus tollenda, aut toleranda ſint.

verum. Tunc enim tollenda penitùs ſunt Idololatriæ & ſuperſtitionis inſtrumenta, quando pietati obſunt magis quàm proſunt: non autem ſimpliciter, & per ſe, & vbique.

41 Et hoc, 1. Quia nullibi in ſacris literis prohibetur Chriſtianis Deum colere quouis loco & tempore. *Ioh.4.21.Malach.1.11.1.Tim 2.8.*

2. Quia omnis Dei creatura bona eſt, & Domini terra & plenitudo eius.

3. Quia quicquid in mundo eſt, eo nobis licet vti ad gloriam Dei & Eccleſiæ vtilitatem.

4. Quia vt nullus cibus Chriſtiano eſt illicitus, modò ſumatur cum gratiarum actione; ſic nulla creatura, nullus locus Chriſtiano prohibetur, modò indè tollantur omnia quæ pugnant cum lege Dei.

5. Quia Chriſtianis etiam Idolothytis, hoc eſt, carnibus Idolis immolatis veſci licet, quatenus infirmis non datur ſcandalum, nec præbetur occaſio idololatriæ, nec aduerſarij in idololatria confirmantur; cùm Idolum nihil ſit in in mundo, & eſca hominem Deo non commendet, (1. Cor. 8, & 9, & 10.)

&

& in Nouo Teſtamento, mundis omnia ſint munda.

6. Quia ſicut hominem Idololatram, abolitis animi vitioſis affectibus, & idololatricis cultibus, conuertere: Sic etiam Idololatriæ organa in pium Eccleſiæ Dei vſum conuertere licet, deſtructis tantùm & abolitis abuſibus.

7. Quia Devs Opt. Max. ex Hierico totum aurum, & argentum, & æs in theſauros ſuos inferri iuſsit. *Ioſ.6.22. edit. Tremell.*

42. II. Verùm ne quis hac in re hallucinetur, duę hæ certiſsimæ Regulæ diligenter tenendæ ſunt. Prior eſt. *Si quid alicubi inutile & otioſum ſit, aut non valdè neceſſarium, quod in abuſum abijt, præſertim Idololatricum, id vnà cum abuſu tolli debet, etſi per ſe non ſit impium.*

Duæ certiſſimæ Regulæ quæ docent quid in hac cauſa faciendum ſit.

Prior.

43 Sic Hiskias tollebat Serpentem æneum, vt occaſio mali deinceps vitaretur.

44 Sic etiam Apoſtolus abſtinendum eſſe docet, non ſolùm *ab omni malo*, ſed etiam *ab omni ſpecie*, id eſt, occaſione mali.

45 Et Chriſtus ipſe, (*Matth.5.29*) *Quòd ſi oculus tuus dexter, facit vt tu offendas, erue eum, & abijce abs te.* id eſt, Omnia, etiam chariſsima, quæ tibi ſcandalo ſunt & impedimento,

mento, ne ſequaris Chriſtum, & proficias in pietate, tollere debes.

Poſterior.

46 Poſterior Regula. *Si quid vtile & commodum videatur ædificationi, id retineri poteſt, ſed per doctrinam refutato & abolito abuſu. Nemo vos iudicet in cibo & potu, aut parte diei feſti, &c. Coloſſ. 2. 15.*

47 III. Error eſt παρὰ τὸ πρός τι καὶ ἁπλῶς λεγόμενον.

Obiect. 8.

48 Inſtant Miniſtri. *Deus apertè mandat, (Deut 7. 25, 26.) Sculptiles Deos earum* (Gentium) *comburite igne: ne concupiſcas argentum vel aurum quod ſit in eis, aut accipias tibi, ne illaqueeris eo, nam abominationi eſt Iehouæ Deo tuo. Vt ne inferens rem abominabilem Domum tuam ſis anathema, ſicut ea eſt: omninò deteſtator eam, quia anathema eſt.*

Ergo. *Non ſolùm abuſus tollendus, ſed & res ipſa etiam, quæ in abuſum abijt, penitus abolenda eſt.*

Reſp. Mandatum de tollendo auro, &c. Idolorum quomodo intelligendũ.

49 RESPON. Non prohibet Deus, quin conuerti poſsint aurum & argentum Idolorum, & alia huiuſmodi in vſum Domus Dei: ſed ne conuertantur in vſus priuatos, néue illa honoremus; vt ex Contextu dilucidè apparet. *Ne accipias TIBI, ne illaqueeris eo, ne inferens Domum TVAM.*

50 Error eſt παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως.

51 Rur-

51 Rurſùs, Inſtant. *At expreſſum eſt Dei præceptum, (Num. 33. 52.) Eijcietis igitur omnes habitatores eius terræ (Canaan) à facie veſtra, & perdetis omnes effigies eorum; & omnes imagines fuſas eorum perdetis, omniáque excelſa eorum perdetis.* Obiect. 9.

Ergo. *Omnia Idololatriæ monumenta & organa penitus tollenda ſunt.*

52 Respon. I. Chriſtiani legibus politicis Iſraëli peculiariter traditis non obſtringuntur. Mandatum enim illud ad ſolos Iſraëlitas pertinet, & de temporali terra Canaan ſolùm loquitur, vt apertè Contextus habet. Reſp. De Idololatriæ Organis.

53 II. Ante aduentum Meſſiæ voluit Deus vnum ſolùm exſtare templum apud populum ſuum, cuius myſteriũ notum eſt: ideò lege cauit, ne vlla relinquerentur Gentilium templa, ſed ea oportuit prorſùs dirui & conuelli; quę lex iam in Republica Chriſtiana locum non habet.

54 III. Error eſt, Ἔλεγχος παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως: & Ἔλεγχος παρὰ τὸ ἑπόμενον.

55 Inſtant. *Laudantur pij Principes in Veteri Teſtamento, quòd non ſolùm Idola ſuſtulerint de Iudæa, ſed omnia etiam excelſa, & templa, & aras Idolorum euerterint.* Obiect. 10.

terint. Contrà verò multi pij alioqui Reges improbantur à Spiritu Sancto, quòd non ſuſtulerint excelſa.

Ergo,&c.

Reſp. De tollendis Idololatriæ organis.

56 Respon. I. Non viuimus exemplis, ſed regulis & legibus.

57 II. Reges Iſraëlitæ Lege Dei obſtricti fuerunt excelſa, & Idololatricos lucos & loca diruere, ſuccindere, & ſuccendere: proindè quod fecerunt, efficere tenebantur: & qui non euerterunt excelſa, peccârunt.

58 III. De Principibus Chriſtianis alia eſt ratio: nulla lege obſtringuntur, niſi lege pietatis & charitatis, qua tenentur ea efficere, quæ magis conducunt pietati, gloriæ Dei, ſalutíque Eccleſiæ promouendæ.

59 IV. Error eſt, Παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον· & παρὰ τὸ ἑπόμενον.

II. Ad Conſequentiam.

60 Fallit Cõſequentia παρὰ τὸ ἑπόμενον. Non enim ſequitur, *Idololatrica monumenta ſunt tollenda.* Ergo *Templa, linea veſtis, Conſignatio crucis ſunt ſimiliter abolenda.* Hæc enim talia non ſunt.

Obiectio IV.

Obiect. 12.

61 Objciunt quartò. *Sed ſcandalum eſt Pontificijs fauere, & eos in Idololatria ſua confirmare.* Ergo,&c.

Respon-

Responsio.

62 I. At verò oppugnare Papam, non eſt nomen huius aut minutiarum minutias tantùm oppugnare, ſed falſam doctrinam in capitibus Religionis redarguere. Néque ad Papatum quidquam facit aut pertinet, Cerẹmonias retinere, quarum in prima Eccleſia Apoſtolorum temporibus vſus fuit.

Reſp. Quinam auctores ſcandalorum ſint in Eccleſia Anglicana.

63 II. Non Papatui obſequimur, neque huic commodamus, quia fideliter (per Dei gratiam) conſeruamus omnia neceſſaria doctrinæ capita, & legitimum Sacramentorũ vſum. Manente autem re integra, néque προσγινόμενα, id eſt, accedentia aliqua ſtatim illam mutant aut vitiant.

64 III. Verè ſcandalum eſt deſerere Eccleſias propter cauſas non maximas, aut præbere cauſam iudicijs populi, qui diceret nos propter paruas res pertinaciâ noſtrâ ciere turbas potiùs, quàm præbere alijs qualemcunque occaſionem calumniandi noſtram moderationem. Et quidem de ſimpliciter indifferentibus, aut ne pertinentibus quidem ad negotium religionis contendere & litigare, neque præceptum habet, neque exemplum.

65 IV. Quæ de ritibus in Anglicana Eccleſia propoſita & decreta fuerunt, præ-

cipuè

cipuè ad conſenſionem doctrinæ, & vnam in Ceremonijs formam in noſtris Eccleſijs conſtituendam pertinent, non ad Papatum confirmandum.

66 V. Quòd autem Pontificij ex noſtris inteſtinis diſſenſionibus animentur, & ferociores reddantur, de hoc longâ opus querelâ, & ſunt in culpa ij, qui de rebus non neceſſarijs magis, quàm de neceſſarijs pugnant, & Eccleſias turpiter deſerunt.

67 Par eſſet importunos iſtos homines conſiderare, nos quoque veram Euangelij doctrinam amare; & huius cauſâ fortaſsis plus laborum, quin & afflictionum, ſuſtinere, & ſubituros porrò eſſe (ſi opus fuerit,) quàm ipſi ſuſtineant, aut (quod ego ſciam) ſubituri ſint: neque tam immaniter nobis Pontificiæ hæreſeos crimen inferre.

68 Pontificatus nouus eſt hoc importunum genus hominum, cæteros omnes ad ſuas rationes adigere conari, & qui non obſequantur, eos tam horribiliter condemnare.

Obiectio V.

Obiect. 12. 69 Quintò profitentur nonnulli. *Singulis ritibus & Ceremonijs in Eccleſia Anglicana vſitatis noſmetipſos ſaluâ conſcientiâ ſubijcere, quin & ijs vti poſſemus, exceptâ*

exceptâ ſolâ Crucis in Sacramento Baptiſmi Conſignatione. Imò nihil eſt, quod nos aquè offendat, atq; Crucis iſta Conſignatio.

RESPONSIO.

70 At verò non blandiamur ipſi nobis, nec prętexatur infirmitas ſimulationi. Multi ſe vocant infirmos, cùm ſint præuaricatores & pertinaces: quod irrefutabiliter euincitur ex falſis interpretamentis, & inauditis gloſſematis, quibus ſibi ipſis imponunt: & à quibus vel maximè abhorret Eccleſia noſtra. vid. Quòd *conſignatio crucis ſit Dei cultus*; quòd *ſine eâ non perficiatur Sacramentum*; quód *ab Antichriſto inuenta ſit & Baptiſmo addita*: quòd *eandem virtutem tribuat Eccleſia Anglicana huic conſignationi Crucis, quæ ipſi Baptiſmo propriè competit*. Apage inſanas calumnias.

Reſp. De Crucis conſignatione in Sacramento Baptiſmi.

71 Verùm ſingulis reſpondemus. I. Crucis conſignatio non eſt cultus Dei, ſed ſymbolum quo mouentur homines ſe non debere Chriſti crucifixi pudere: qui quidem ritus interno cultui inſeruit, ad excitandum Chriſti amorem; & externo etiam ad liberam confeſsionem, &c.

72 II. Crucis conſignatio actus eſt ἀδιάφορος, qui nihil confert ſubſtantiæ & efficaciæ Baptiſmi ſi adhibeatur, neque quicquam

quam demit ſi omittatur.

73 III. Nec eſt quòd contendant Miniſtri, hanc ceremoniam ab Antichriſto demum inuentam, & Baptiſmo additam fuiſſe, cùm ab antiquiſsimis Patribus paſſim eius mentio fiat; quòd vel ipſa impudentia negare non poteſt.

74 Quin & in conſignatione Crucis apud nos diſertè & expreſſè addita eſt manifeſta redargutio & reiectio errorum & abuſuum Papiſticorum.

75 IV. Neque ceremoniæ huic eam virtutem tribuimus, quę ipſi Baptiſmo propriè competit; quòd videlicet Baptiſmus ſit lauacrum Regenerationis, quo ab ira Dei, poteſtate tenebrarum & Diaboli tyrannide liberati, in gratiam Dei vindicamur. Hæc efficacia conſignationi Crucis non eſt tribuenda; nec priùs adhibetur hæc ceremonia, quàm ſacro fonte infans tingatur.

Obiectio VI.

Obiect, 13. 76 Obijciunt ſextò. *Nemo debet quicquã agere contra cõſcientiæ ſuæ dictamen.*

Ergo, *Ceremoniæ iſtæ, quas non probat homo, ei illicitæ ſunt.*

Responsio.

Reſp. De conſcientia dubia & errante. 77 Certum eſt nihil eſſe tentandum in noſtris

noſtris actionibus, de quo non ſimus certi, quòd Deo probetur: quicquid ſecùs agitur, nos reos efficit. Dicit Apoſtolus, *Beatus, qui ſe non iudicat in eo quod approbat.* Vnde fit, vt qui iudicat & damnat quippiam, & tamen id admittit, damnetur, quoniam ex fide non agit.

78 Conſcientia eam vim habet, vt opus quod naturâ ſua ſit ἀδιάφορον, ſi bona fuerit, bonum reddat: ac è diuerſo malum efficiat, cùm mala fuerit.

79 Veruntamen fieri non poteſt, vt vllum opus naturâ ſuâ malum, per noſtram conſcientiam bonum fiat. Quacunque enim conſcientia fueris, quando peieras, aut ſcortaris, grauiter peccas. Quamobrem vis conſcientiæ tantummodò in rebus medijs, atque etiam in actionibus quæ ſua natura bonę ſunt, poteſtatem exercet. N B.

80 Atque ex his quidem, aliquid videri poteſt contra conſcientiam, aut illicitum eſſe dupliciter. 1. *Incertò ac dubiè*; cum ſci. homo dubitet aut incertus ſit, vtrùm licita res aliqua ſit, nécne. 2. *Determinatè & abſolutè*, cùm homo vid. certò perſuaſus ſit rem illicitam eſſe, quamuis per errorem conſcientiæ.

Aliquid poteſt videri contra conſcientiam duobus modis.

81 Si quid homini *incertò ac dubiè* illici-

tum videatur, ab eo abſtinere tenetur, quamdiu ſui iuris ſit, & liberè id præſtare poſsit.

82 At verò ſi interuenerit legitimi Magiſtratus imperatum, tum tenetur ſubditus obedire; iuxta illud πείθεσθε καὶ ὑπείκετε, *Heb.13.17.*

N B. 83 Omne Magiſtratus præceptum, aut certum eſt, quod ſit bonum & iuſtum, & tunc ſubdito obediendum eſt; aut certum eſt, quod ſit malum & iniuſtum, & tunc non eſt obediendum; aut fortè dubium eſt, & in dubitatione Regula ſequenda, *Tene certum & relinque incertum.* Eſt autem certum obtemperandum eſſe Poteſtati non manifeſtè iniuſta præcipienti. Et meritò excuſantur ſubditi, dum in cauſa dubia Principi ſuo parent.

Regula in dubitatione tenenda.

84 Si cuius conſcientia, quamuis erronea, ſibi dictet determinatè & abſolutè aliquid eſſe illicitum, peccaret homo, qui contra talem conſcientiam ageret. Conſcientia enim errans obligat, non quidem ad agendum ſecundùm eam, ſed ad non agendum contra eam: quia qui contra conſcientiam agit, conuincitur habere voluntatem peccandi.

Quomodo aliquis eſſe perplexus.

85 Si abſolutè præcipiat conſcientia ſua alicui, quod ex ſe & ſuo genere malum,

aut

aut quod lege prohibitum eſt, tanquam neceſſariò faciendum : aut ſi prohibeat, quod eſt ſuapte natura bonum & neceſſarium, aut quod Deus aut legitimus Magiſtratus ei præceperit, vt faceret ; peccatum eſt, & facere quod conſcientia in his iubet aut prohibet, & illud etiam non facere. Sic enim hominem ligatum & conſtrictum tenet, vt in neutram partem ſine peccato declinare poſsit, niſi errorem conſcientię depoſuerit. & perplexitatem auferre queat.

86 Eſt enim Regula omnium Theologorum conſenſu firmata; quòd *Dictamen conſcientiæ erroneæ in materia vitioſa determinatum per præceptum aut prohibitionem, ſic ligat hominem, vt eá ſtante conſcientiá, neque ſecundùm eam poſsit facere, neque contra eam.* NB.

87 Sed neque conſenſum ſuum in tali caſu, vel tantiſper ſuſpendere licebit ; ſed ſtatim tenetur conſcientiam erroneam deponere, & ſcire tale non eſſe prohibitum, ſed præceptum.

CONCLVSIO, AD DILECTOS IN CHRISTO *Fratres, Miniſtros quoſdam, qui* Eccleſiæ Anglicanæ Diſci-*plinæ non acquieſcunt.*

HActenùs, dilecti Fratres, tractauimus ea, quæ ad verum & legitimum Adiaphororum vſum, atque adeò ad Naturam eorum penitiùs cognoſcendam, pertinere viſa ſunt. Chriſtianè affectis, Spiritu verè ambulantibus, veritati ſimpliciter, piè, conſtanter & ſincerè cedentibus & ceſſuris, adhærentibus & adhæſuris omnibus omnino ſatisfactum eſſe mihi polliceor: adeò vt hac in re non dubitârim doctorum & bonorum virorum toto orbe terrarum iudicium ſubire; quos probaturos eſſe hoc meum conſilium ſpero, & intellecturos me de his tantis rebus diſſeruiſſe non alienis affectibus, nec vllius gratiam aucupandi deſiderio, nec ſtudio diſſentiendi ab alijs, nec amore nouitatis, nec φιλονεικίᾳ aut vlla alia praua cupiditate; ſed neceſsitati Eccleſiæ ſeruijſſe. Cùm enim in prima Reuerendiſsimi Domini, D. Epiſcopi Londinenſis Eccleſiarum inſpectione, intellexiſſem admodum

dum diſſonos clamores exſtitiſſe inerudi-torum de multis rebus, de Diſciplina, de ritibus & ceremonijs Eccleſiaſticis contendentium, ſummam Doctrinæ, quam D. Caluinus, D. Melanthon, D. Bucerus, Zanchius, Vrſinus, Beza, alijquè doctiſsimi viri de ADIAPHORIS in diuerſis & interpretationum, & concionum, & aliorum Tractatuum voluminibus tradiderant, tanquam in vnum corpus redactam edidi, quò omnes, quaſi in tabula, quid in hoc negotio tenendum ſit, quid fugiendum, quid ſequendum vel primo intuitu perſpiciant: ac volo dexterè & ſine ſophiſtica & ſine calumnijs intelligi id ſcriptum.

Certum eſt, in tanta infirmitate hominum, Eccleſiam nunquam adeò puram eſſe, quin aliqui incidant abuſus. Certum & hoc etiam, abuſus aliquos diſsimulandos, & condonandos eſſe publicæ concordiæ: Sed hoc intelligi debet de ijs abuſibus, qui ſaluâ doctrinâ oriuntur ex quadam imbecillitate, non de ijs, qui delent aliquos articulos fidei neceſſarios, aut ſunt idololatrici, aut cogunt homines ad manifeſta peccata. Hinc grauiſsimè & in ſemetipſos & in fratres reliquos peccant nonnulli, qui næuis quibuſlibet & ſuas & aliorum conſcientias

Eccleſia Militans nunquam perfecta.

N B.

non leuiter perturbant, perindè ac ſi de Chriſtianiſmo ſimul ſublato ageretur. Neque hoc dico quaſi ad vllas corruptelas conniuendum putem (Terra enim mihi potiùs dehiſcat & obruar tota arena, quàm ego quidem velim defendere vllas corruptelas doctrinæ cæleſtis, aut pugnare cum Eccleſia DEI, in qua cupio, vt in æterna Schola poſt hanc vitam etiam videre Filium DEI, Patres, Prophetas, Apoſtolos, & eorum frui doctrina & familiaritate.) ſed quoniam quæ condonanda ſunt charitati Chriſtianæ, ab ijs quæ prorſùs ſunt exſecranda, prudenter diſtinguenda eſſe iudico, idque non ex carnis, ſed Spiritus prudentia. Ac profectò impietas non leuis eſt, ſentire vim religionis vniuerſam poſitam eſſe, vel in contemnendis, vel in obſeruandis tantùm ceremonijs; cùm docti omnes, quibus hæc nota ſunt, rideant ac ſtultitiam interpretentur magnoperè angi in vtramuis partem de ceremonijs.

Quapropter, obſeruandi Fratres, vos omnes reuerenter obteſtamur per eum cuius gloriam æquum eſt rebus omnibus ſine exceptione anteponi, vt hîc imprimis laboretis, vt opportunum tanto malo remedium primo quoque tempore afferatur.

Satis multos habemus hoſtes foris, aduerſus quos filius DEI præcipit vt concordiam tueamur: ac verò nos contrà, & proprios humeros & brachia comedimus; & ſublatis columnis atque fulcris, ædificium noſtrum fatiſcere iam incipit & minitari ruinam. Vtque Euſebio Cæſarienſi & Baſilio Magno iam olim inter ſe digladiantibus incendium Arrianum longè latéque graſſari cœpit: Ita dum veræ Eccleſię membra funeſta mutuò & inteſtina bella agitant, non modò communibus omnium noſtrûm hoſtibus formidini eſſe deſijmus; ſed propter intolerabilem petulantiam contra veteres & orthodoxas ſanctiones, legúmque noſtratum ſeueriſsimas prohibitiones quęcunque dogmata fingendi, eáque cum maximo Eccleſiarum ſcandalo & ſumma impunitate diſſeminandi, publicè omnium ludibrio exponimur. Speramus, Fratres, vos non adeò omnium rerum rudes eſſe, vt ignoretis aliorum iudicia de his noſtris diſcordijs; nec adeò ſine communi ſenſu, vt ſoli pericula noſtra non videatis; nec adeò feros, aut ferreos potiùs, vt ærumnis noſtris, quas ſuſtinemus non exiguas, nihil afficiamini. Videtis Anglicanæ Eccleſiæ communes hoſtes formidibaliores

eſſe

eſſe, ſi diuulſam & diſtractam inteſtinis odijs ac diſsidijs adorientur: nec ignoratis domeſticas diſſenſiones ſemper exitialem peſtem magnis Eccleſijs fuiſſe. Quantò ſatius itaque eſt, vos in hoc omnibus viribus incumbere, vt afflictas Eccleſias conſolemini & foueatis, quantùm piè fieri poteſt, & curetis vt rerum neceſſariarum omnium doctrina fideliter explicata ad poſteros propagetur? Ad quod vos primùm pietas in DEVM, cui id totum quod ſumus debemus, incitare debet. Deinde zelus ſanctæ fidei & religionis, & Vocationis conſcientia inflammare: vt taceam quid obſeruantia in Regiam Maieſtatem & alios Magiſtratus requirat, quid poſcat Eccleſiæ Anglicanæ ſtatus, quæ nunc his diſcordijs quaſi compage ſoluta fatiſcit. Denique quid poſtulet officium in Patriam, parentes, liberos, affines, vicinos: Quæ omnia, ſi conferantur, ſatis ſupérque nedum commouere, ſed etiam diſtringere & impellere vos debent, vt communi operâ hæc inteſtina diſsidia reſtinguantur. Et quidem cogitate cum animis veſtris & diligenter expendite, quantò honeſtior ſit pia veſtra in Adiaphoris ſubmiſsio, quàm in deſerẽdis Eccleſijs ſuperſtitioſa & intolerabilis ſuperbia.

Verùm

Verùm ſi ſub prætextu Euangelij priuatis affectibus inſeruire porrò in animo habeatis (quod DEVS clementer auertat) in his tamen tantis voluntatum & hominum diſsipationibus, hanc Conſolationem piæ mentes teneant; Vbi vocem veræ doctrinę incorruptam audiunt, & legitimum vſum Sacramentorum cernunt, & vident non defendi idola & errores pugnantes cum voce Filij DEI: ibi ſe in ſocietate Eccleſiæ eſſe certiſsimè ſciant, nec dubitent tales cœtus DEI domicilia eſſe, ibi miniſterio Euangelij adeſſe DEVM, ex eo cœtu colligi æternam hæreditatem Filio Dei, iuxta illud, *Vbicunque ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Sed hunc Dominum oro, vt ſuæ Eccleſiæ ærumnas mitiget & vulnera ſanet, vt aliquas ſibi reliquias excerpat & mundet filios Leui, id eſt, excitet paſsim Doctores rectè docentes, qui, vt in alueolis apes ſingulæ conferunt labores ſuos ad communem vtilitatem, ita illi conferant ſinguli omnia ſtudia & officia ſua ad ſalutem & tranquillitatem Eccleſiæ, vt omni diſſenſione ſublatâ, coniunctis in poſterum animis & voluntatibus, veram Euangelij doctrinam latè ſpargant, Eccleſiam Dei ædificent, errores & hæreſes perſpicuè

Quid pio homini in Eccleſiæ inteſtinis diſsidijs faciendum.

ſpicuè & conſtanter refutent & damnent, & poſteris veram & conſentientem de grauiſsimis noſtrorum temporum controuerſijs ſententiam tranſmittant.

APOC. 7. 12.

Amen. Benedictio, & Gloria, & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Virtus, & Robur DEO *noſtro in ſecula ſeculorum. Amen.*

FINIS.

ΣΦΑΛΜΑΤΑ TYPOGRAPHICA.

Pag. 11. *lin.* 10. *pro* Externæ, *lege* Extremæ. *pag.* 52. *lin.vlt. pro* noluit, *lege* noluerit. *pag.* 80. *lin.* 11. *pro* prudentia, *lege* pendentia, *pag.* 93. *lin.* 14. *pro* ceremoniali, *lege* morali.

MIDDLE TEMPLE

linee numeri		linee numeri		equatio [illegible]		[illegible]	longitudo [illegible]		equatio [illegible]		longitudo [illegible]		[illegible]		
S	G	S	G	G	M	M	G	M	G	M	G	M	S	G	M
2	1	9	29	4	30	29	0	20	8	8	0	22	4	4	29
2	2	9	28	4	33	28	0	21	8	12	0	23	4	4	30
2	3	9	27	4	36	27	0	21	8	15	0	23	4	4	32
2	4	9	26	4	39	26	0	21	9	19	0	23	4	4	33
2	5	9	25	4	42	25	0	22	9	22	0	23	4	5	34
2	6	9	24	4	44	24	0	22	9	25	0	24	4	5	36
2	7	9	23	4	46	22	0	23	9	28	0	24	4	5	37
2	8	9	22	4	48	21	0	23	9	31	0	24	4	5	38
2	9	9	21	4	50	20	0	23	9	34	0	25	4	5	40
2	10	9	20	4	52	19	0	24	9	37	0	25	4	5	41
2	11	9	19	4	54	18	0	24	9	40	0	25	4	5	42
2	12	9	18	4	56	17	0	24	9	42	0	26	4	5	44
2	13	9	17	4	58	16	0	25	9	45	0	26	4	5	45
2	14	9	16	5	0	15	0	25	9	47	0	26	4	5	47
2	15	9	15	5	1	14	0	25	10	49	0	27	4	5	49
2	16	9	14	5	3	13	0	26	10	51	0	27	4	5	51
2	17	9	13	5	5	12	0	26	10	53	0	27	4	5	53
2	18	9	12	5	6	11	0	26	10	55	0	28	4	5	55
2	19	9	11	5	7	10	0	26	10	57	0	28	4	5	57
2	20	9	10	5	8	9	0	26	10	59	0	28	4	5	58
2	21	9	9	5	9	8	0	26	10	0	0	29	4	5	59
2	22	9	8	5	10	7	0	27	10	2	0	29	4	5	1
2	23	9	7	5	11	6	0	27	10	4	0	29	4	5	3
2	24	9	6	5	12	5	0	27	10	5	0	29	4	5	4
2	25	9	5	5	13	4	0	27	10	7	0	30	4	5	6
2	26	9	4	5	14	3	0	27	10	8	0	30	4	5	7
2	27	9	3	5	14	2	0	27	10	9	0	30	4	5	8
2	28	9	2	5	15	1	0	27	10	10	0	30	4	5	9
2	29	9	1	5	15	1	0	27	10	11	0	30	4	5	10
3	0	9	0	5	15	2	0	27	10	12	0	30	4	5	11

linee numeri		linee numeri		equatio [illegible]		numerus [illegible]	[illegible] longitudo		equatio [illegible]		[illegible] longitudo		[illegible]		
si	g	si	g	g	m	m	g	m	g	m	g	m	si	g	m
3	1	8	29	5	15	3	0	27	10	53	0	31	4	5	43
3	2	8	28	5	15	4	0	28	10	55	0	31	4	5	44
3	3	8	27	5	15	5	0	28	10	57	0	31	4	5	46
3	4	8	26	5	15	5	0	28	10	59	0	31	4	5	47
3	5	8	25	5	15	6	0	28	11	0	0	31	4	5	48
3	6	8	24	5	15	7	0	28	11	1	0	31	4	5	50
3	7	8	23	5	14	8	0	28	11	2	0	31	4	5	51
3	8	8	22	5	14	9	0	28	11	2	0	31	4	5	52
3	9	8	21	5	14	10	0	28	11	3	0	31	4	5	54
3	10	8	20	5	13	11	0	29	11	3	0	32	4	5	55
3	11	8	19	5	12	12	0	29	11	3	0	32	4	5	56
3	12	8	18	5	11	13	0	29	11	3	0	32	4	5	58
3	13	8	17	5	10	14	0	29	11	2	0	32	4	5	59
3	14	8	16	5	9	15	0	29	11	2	0	32	4	6	0
3	15	8	15	5	8	16	0	29	11	2	0	32			
3	16	8	14	5	6	17	0	29	11	1	0	32			
3	17	8	13	5	4	18	0	30	11	0	0	32			
3	18	8	12	5	3	19	0	30	10	59	0	32			
3	19	8	11	5	1	20	0	30	10	57	0	33			
3	20	8	10	4	59	21	0	30	10	55	0	33			
3	21	8	9	4	57	22	0	30	10	53	0	33			
3	22	8	8	4	55	22	0	30	10	[illegible]	0	33			
3	23	8	7	4	53	23	0	30	10	48	0	33			
3	24	8	6	4	51	24	0	30	10	45	0	33			
3	25	8	5	4	49	25	0	30	10	[illegible]	0	33			
3	26	8	4	4	47	26	0	30	10	[illegible]	0	33			
3	27	8	3	4	45	27	0	30	10	35	0	33	4	6	[illegible]
3	28	8	2	4	43	28	0	30	10	31	0	33	4	6	20
3	29	8	1	4	42	29	0	29	10	27	0	33	4	6	22
4	0	8	0	4	41	30	0	29	10	[illegible]	0	33	4	6	[illegible]